D. JACOBI GABRIELIS WOLFII,

POTENTISS. BORUSS. REG. CONSIL. AUL. JURIUMQUE
IN REGIA FRIDERICIANA PROF. PUBL. ORD.

COMMENTATIO HISTORICO-JURIDICA,

DE

FEUDORUM IMPERII
ORIGINE ATQUE INDOLE,

SUB

PRIMIS FRANCORUM REGIBUS.

E CATHEDRA PUBLICA QUONDAM DEFENSA,

ET

SECUNDA HAC EDITIONE
DILIGENTIUS RECOGNITA
NOVISQUE PASSIM ACCESSIONIBUS AUCTA.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.
MDCCXLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

BENEVOLE LECTOR.

EX quo in REGIA FRIDERICIANA publico docendi jura munere fungi cœpi, (quod anno hujus ſeculi Xmo contigit,) in eo etiam fui, ut & diverſas â provincialibus feudorum Imperii rationes in jurisprudentia feudali illuſtrarem. Hunc in finem quoque ITTERI librum, quem ex inſtituto *de Feudis Imperii* conſcripſit, in ſubſidium, ut fas eſt, vocavi. Cujus laboris licet me nec pudeat, nec pigeat; neque ea mentis arrogantia tumeſcam, ut promeritis Auctoris laudibus derogare, juſtumque operi pretium negare audeam; officii tamen rationes etiam exigere ar-

bitror, ut liberius dicam, non tam omnibus opus iſtud numeris eſſe abſolutum, ne ſit, quod addi, quodque emendari queat. Quapropter, cum illuſtria feudorum Imperii inſtituta præ ceteris digna ſint, quæ aliorum quoque ſtudiis melius pedetentim explicentur; non abs re futurum exiſtimavi, ſi aliquam & ego rei perficiendæ operam impenderem. Ex hac itaque ratione, diſſertationem, cujus paulo mutatum nunc rubrum cernis, Academicam in lucem quondam publicam prodire juſſi; eo quidem ſimul animo, ut plures pedetentim ſequerentur: altera *de ſtatu feudorum Imperii ſub CAROLO M. & CAROLIDÆ ſtirpis Germaniæ Regibus;* tertia *de ſtatu feudorum Imperii ſub CONRADO I. atque HENRICO AUCUPE,* & ſic deinceps aliæ; atque has tandem juris propric dicti capita exciperent. Invitavi quoque ad continuandas iſtas diſſertationes aliquoties, tum in publicis prælectionum Academicarum indicibus, tum in diurnis Halenſibus; (denen wöchentlichen Halliſchen Anzeigen;) ſed opera omnino fruſtranea. Quo ipſo factum eſt, ut illum deinde animum deſeruerim, atque interea *elementa feudorum, tum provincialium, tum Imperialium*, in publicam anno MDCCXLI. lucem emiſerim. Fieri vero nihilominus adhuc poteſt, ſi vitam viresque, quæ ipſius gratia eſt, indulſerit Summum Numen, ut ad *uberiorem de ſtatu feudorum Imperii commentarium hiſtorico-juridicum*, per omnia, quæ Merovingicorum Regum periodum excipiunt, ſecula continuandum, animum denuo adjungam; poſteaquam novas prius *jurisprudentiæ* meæ *eccleſiaſticæ*, nec non *naturalis* editiones emendatiores paravero. Vale interea, B. L. faveque! Dabam Halæ Magdeburg. d. 23. Septembris anno MDCCXLIV.

§. I.

§. I.

Feudi vocabulum barbarum eſſe, id quidem vix quenquam, qui accurata rem lance penſitaverit, inficias iturum, exiſtimo. Quod qui perſpectum habent cognitumque, non una tamen omnes ratione illius derivationem explicant; ſed in diverſas potius, ut fieri & in aliis ſolet, abeunt ſententias. *Feudi vocabulum barbarum.*

§. II.

Aliis quippe hæc mens hæret, vocabulum feudi quam rectiſſime a **Fede**, quæ vox bellum Latinis ſignificat, derivari; cum bella inprimis feudorum auſpicia atque incrementa promoverint. *Utrum à* **Fede***?* Alii vero ſecus ſentiunt, origines vocabuli feudi à **föden**, ſeu **füden**, (alere,) repetendas arbitrati; eo, quod feuda alendis poſſeſſoribus inſerviant. (a) Quæ quidem *an à* **föden** *derivetur?*

(a) Patronos utriusque ſententiæ laudat ITTERUS Cap. II. §. 9. Alia barbaræ indolis etyma, longius petita, hic omittimus. Cui tamen volupe eſt, talia ſcrutari, ſummam eorum in Dn. de LUDEWIG *jure client. S. I. C. II. §. 6. p. 30. ſqq.* expoſitam deprehendet.

etymologiæ licet aliqua ſe veriſimilitudine commendent; mihi tamen ſatis ideo non faciunt, quod alia eſt cognita, majorem veriſimilitudinis ſpeciem præ ſe ferens.

§. III.

Mihi à Feode. Nempe rectius rationes ſubducere exiſtimo, qui feudi nomen à Feode ortum eſſe ſtatuunt, his potiſſimum rationibus permotus: 1) vocabula enim FEODUM, FEODARIUS, INFEODARE, in vetuſtioribus monumentis frequentius inveniuntur; 2) ob ſignificatum vocabuli Feode, quod prædium ſignificat STIPENDIARIUM, ſeu prædium, pecoribus aliisque rebus ad vitam alendam facientibus, inſtructum; 3) quia vocabulum FEODUM quam facillime in FEUDUM potuit mutari. *(b)*

§. IV.

(b) Conf. HULDERICI ab EYBEN *electa juris feudalis cap. I. §. 8.* SCHILTERI *comment. ad rubr. J. F. A. § 7.* Dn. de LUDEWIG cit. *jus clientelare, ſect. I cap II. § 23.* Adde GUNDLINGIANA *part. I. obſ I. § 15.* nec non STRUVII *hiſt. jur. feud. §. 2.* Poſt curas autem ulteriores, nunc diffiteri haud poſſum, nondum ſatis eſſe probatum, vocem Ode denotare, *proprietatem*, vel *poſſeſſionem;* ſed ita ſentientes meris tantum uti conjecturis, aut alterum alterius ſequi auctoritatem. Conf. Celeb. BURIUS *in comment. ad Schilt. inſtitut. jur. feud. p. 39. ſeqq. num. 7.* Quare nec cum fiducia vocabulum Feode dicere jam poſſum compoſitum; ſed arridet potius tantiſper, donec deſiderata in lucem prodeat probatio melior, eorum ſententia, qui, ſimplex id ipſum, atque ode ſuffixum duntaxat eſſe, arbitrantur, quo ſingularis hæc ſtipendii ſpecies

§. IV.

Errant, qui latinum arbitrantur.

Quæ cum ita ſint, erroris dubio procul arguendi, qui vocabulum credidere latinum, atque id ipſum vel à FOEDERE, quo dominus & vaſallus junguntur, FOEDI ſcriptura, alicubi ex antiquis monumentis eruta, decepti, derivarunt; vel, quod frequentiſſimum eſt, â FIDE, juris feudalis (c) auctoritate perperam moti; (d) quam profecto tantam eſſe minime oportet, ut vincat rationem.

§. V.

Res vocabulo antiquior.

Feudi vocabulo, quod paucis illuſtravimus, res ipſa eſt antiquior. Illius enim vix ullum in latinis libellis ante ſeculum XI. fuiſſe uſum, extra omnem fere dubitationis aleam hodienum apud non nullos eſt poſitum. Quodſi celebris admodum de expeditione Romana conſtitutio CAROLO CRASSO vere poſſet vindicari; nemo profecto dubitaret, quin vocabulum, quod in illa occurrit, ſeculo IX. eſſet uſurpatum. (e) Quam quidem conſtitutionem licet, ob errorem

cies â vulgari, quæ monoſyllabo FE nomine venerit, curatius fuerit diſtincta. Vid. Celeb. FRANC. CAR. CONRADI *obſervationum jur. feud. theoretico-pract. ſpecimen I. obſ. I.* it. laudati BURII *comment. p. 42. ſq. n. 8.* &, qui ab his in ſubſidium vocati ſunt, SPELMANNUS, SKINNERUS, WACHTERUS & reliqui.

(c) *2. F. 3. in fin.*

(d) Commendandum denuo ante laudatum *jus client. cit. cap. §. 5. p. 25. ſqq.*

(e) In conſtitutione de expeditione Romana, quam FREHERUS, GOLDASTUS aliique publicæ lucis fecerunt,

rorem nominis, falſam omnino ſpuriamque nonnulli pronuntiaverint; *(f)* eam tamen, ſi rem ſpectaveris, genuinam eſſe; ſed CONRADO SALICO tribuendam; adeoque ad ſeculum XI. referendam; a viris harum rerum peritis jam eſt oſtenſum. *(g)* Interea non deſunt, qui antiquiorem vocabuli uſum eſſe,

---

hæc leguntur: *Cuicunque ſecundum banc legem expeditio imperetur, ſi ad curiam Gallorum, hoc eſt, in campum, qui vulgo Rungalle dicitur, dominum ſuum non comitetur, & ibi cum militari apparatu non repræſentetur, FEODO, præter hos, qui cum gratia dominorum ſuorum remanſerunt in conſpectu noſtro, absque ſpe recuperationis, privetur.* Quæ vox deinde repetitur.

(f) Prout CAROLUS du FRESNE *in gloſſario ſub voc. feudum. Tom. II. p. m. 406. col. b.* aliique paſſim teſtantur; inprimis OBREÇHTUS *in diſſertatione de expeditione Romana.*

(g) Laudandus hic SCHURZFLEISCHIUS; quippe qui *diſſertatione de CONRADO, Imperatore Auguſto, ejusque diplomate, quod de expeditione Romana inſcribitur*, ſententiam hanc pluribus expoſuit; quam & commendant GUNDLINGIANA *P. I. obſ. I. §. 15.* Adde SCHILTERI *Commentar. ad jur. feudalis Alemann. cap. IIX. §. 10. ſeqq.* Ipſe quoque FREHERUS *in ſuis ad conſtitutionem adductam annotationibus* antiquiorem vocabuli uſum in dubium vocavit, id ipſum FRIDERICI demum Imperatoris ævo uſurpatum ratus. SELDENUS, *in gloſſario, hiſtoria Anglicanæ ſubjecto*, ante annum milleſimum in nullo monumento, quod non ſuſpectæ fidei fuerit, ſe feudi nomen reperiſſe, teſtatur. Conf. EYBENII *electa jur. feud.*

eſſe, alii hoc, alii alio uſi argumento, contendunt. *(b)*

§. VI.

Quæ itaque feuda dicimus, aliis quondam nominibus fuere ſignata: quorum frequentiſſimum fuit BENEFICII nomen; vel eo quidem ſenſu, quo beneficium idem eſt, ac prædium ſtipendiarium; vel ideo, quod a dominorum beneficentia erant profecta, atque *Feuda quondam dicta beneficia.*

feud. cit. l. itemque THOMASII *diſſertat. de libri veteris de beneficiis auctore, fato, vetuſtate, &c. §. 15. ſqq.* nec non Celeb. GEBAUERUS *in præfatione od iſtam conſtitutionem*, cum FREHERI & aliorum *notis* a ſe editam, ac SCHILTERI *inſtit. juris feudalis* adjectam.

(b) Horum in numero eſt ANTONIUS DOMINICUS *de prærogativa allodiorum cap. XV. §. I.* ſed conſtitutione de expeditione Romana, quam CAROLO CRASSO tribuit, aliisque monumentis Sec. IX. deceptus, quæ ſpuria eſſe, adductus paulo ante CAROLUS du FRESNE contendit. Quid? quod HORNIUS *in jurisprud. feud. cap. II. §. 1.* in hæc ad finem verba erumpit: *quid vetat dicere, ante CAROLI CRASSI ætatem, LOTHARII I. avo, jam inclaruiſſe hanc vocem?* Nempe provocat ad conſtitutiones LOTHARII, quæ *1. F. 19. ſqq.* leguntur, quasque *cap. I. §. 20. ſua jurisprud. feud.* LOTHARIO I. vindicare conatus eſt. In harum enim prima *(1. F. 19.)* feudi vocabulum apparet. Verum uti adhuc ſub judice lis eſt, utrum iſtæ conſtitutiones ſint LOTHARII I. ita porro, licet hac de re nullum ſupereſſet dubium; nil tamen obſtaret, quo minus quis reſponderet, vocabulum hoc a compilatoribus recentiori ævo eſſe inſertum;

 cum

atque largitatem fidelitatis cauſa factam potiſſimum ex-

cum in ipſo illo capite æque, ac proxime ſequentibus, *beneficii* quoque vox uſurpetur. Quid? quod ex §. ult. illius tituli controverſia, meo judicio, facile componi poſſe videtur; quum *ſucceſſionis nepotum*, ut & *fratris*, ex juris regula locum habentis, mentio ibidem fiat; hæc autem ſucceſſio demum CONRADI II. conſtitutione, poſt ſecundam ejus in Italia expeditionem, anno 1037. lata, in juris certi formam, nec tamen per omnem ubique Germaniam illico receptam, ſit redacta. WIPPO *in vita CONRADI SALICI*, apud PISTORIUM *tom. III. p. m. 480. edit. Struv.* HERMANNUS CONTRACTUS *in chronico ad ann. 1035. & ann. 1037. ap. eund. tom. I. p. m. 278. & ſeq.* Add. *1. F. 1. ∫. 1.* it. *lib. V. feud. tit. I.* Quæ quamvis ita ſe habeant; SCHILTERUS tamen in mentem mihi incidit, cum LUDOVICI PII. diplomate, quod *in mantiſſa, diſſertationi de curiis dominicalibus adjecta*, in medium produxit, in quo *(p. 579. cod. jur. feud. Alem.* in forma quarta edito, notatu maxime digna hæc leguntur verba: *ſi utilitas monaſterii ſic expoſcit, mancipiis eccleſiæ SERVILI tantum FEODO concedatur. Piſcatoribus autem FEODATIS piſcatio ſit à Racenhauſen usque Querchlacha. Si quis autem de familia eccleſiæ obierit, - - - junior filius ipſius - - - - cum matre INFEODETUR.* Ad quod diploma B. G. STRUVIUS *in juriſpr. feud. c. I. in not. ad ∫. 7. p. 16.* jam provocavit; nec non Dn. de LUDEWIG *in jur. feud. cap. II. p. 61. not. 101.* ea quidem ratione, ut, ſe non habere, fateatur, quare hoc monumentum in dubium vocare debeat; prout in *element. jur. feud. c. I. ∫. 10. not. (ll.)* jam oſtendi.

exprimebant. *(i)* Qui ſignificatus in primis quoque ob oculos verſatus eſt LIBRI VETERIS DE BENEFICIIS auctori; *(k)* quemadmodum & libri feudornm eundem legentibus exhibent frequentius. *(l)* Quæ quamvis ita ſe habeant; ſilentio tamen hic tegere nequeo, beneficii vocem laxiori etiam ſignificatu medii ævi ſcriptoribus uſurpatam fuiſſe, ſæpiusque omnes denotaſſe fundos uſufructuarios, qui Regum liberalitati ferebantur accepti. *(m)*

§. VII.

Alia eorum nomina.

Porro paucis adhuc annotandum, feuda quondam etiam audiviſſe HONORES, MILITIAS, MINISTERIA, nec non MUNERA REGIA. *(n)*

§.VIII.

(i) Hunc vocabulo ſignificatum antiquiores jam Romanos tribuiſſe, idemque adeo Latii ſermonis puritate pollere, non unus jam oſtendit. CAROLUS du FRESNE *in gloſſ.* voc. *beneficium.* SCHILTERUS *in commentario ad rubr. J.F.A.ſſ 5.* Dn. a LUDEWIG *in jur. client. Sect. I. cap. II. ſſ 8.9.* Adde GUNDLINGIANA, *part. I obſ. I ſſ. 9 10. 11.*

(k) Quem THOMASIUS *ſelectis ſuis feudalibus* adjecit, aliique, poſt ipſum, in publicam quoque lucem emiſerunt; quod ante ipſum jam fecerat HAVICHORSTIUS. Qua de de re pluribus *in element. jur. feud. C. II. ſ. 13.*

(l) E. gr. *1.F.1.* it. *19 ſqq* nec non *2.F.34. ſſ.2.* itemque *2.F.55. pr.* Quæ hic ſufficere poſſe arbitror.

(m) Obſervavit hoc pariter CAROLUS du FRESNE *cit. loc.* SCHILTERUS *in comment. ad rubr jur. feud. Alemann. ſſ. 5.* Adde jam jam laudata *ſelecta feud. cap. I ſſ. 37.*

(n) Teſtimonia copioſius adduxit STRUVIUS *in hiſtor. jur. feud. ad ſſ. 1.* Evolvendus quoque du FRESNE. Add. BU-

RIUS

§. VIII.

Germanorum Lehen *explicatur.*

Germanis quondam vocabulum Feode uſurpatum; cui deinde *(o)* vox Lehen ſucceſſit, BENEFICAM potiſſimum CONCESSIONEM ſignificans, atque adeo etiam de contractibus beneficis, mutuo & commodato, majoribus noſtris uſurpata. Minime tamen unicum hunc vocis ſignificatum defendo; ſed potius varium eſſe, quam lubentiſſime largior; cum & mihi cognitum ſit ac perſpectum, eandem tum interdum ad contractum LOCATIONIS CONDUCTIONIS, tum ad JUDICIALES ALLODIORUM TRANSLATIONES applicari. *(p)* Quare ex negotii quod geſtum eſt, momentis caute judicandum, utrum contractus beneficiarius, ſeu feudalis, an vero aliud quid vocabulo hoc indigitetur.

§. IX.

Feudi definitio.

Quibus de nominibus ita expoſitis, ad rem definiendam progredior. De qua quidem licet non una ſit doctorum concertatio; operæ tamen pretium haud eſſe exiſtimo, eam hic prolixius explicare. Mihi interea FEUDUM, 1) OBJECTIVE ſumtum, eſt res, vel

---

RIUS *cit. loc. p. 48. ſqq.* Ubi de feudi ſynonymis, egit pluribus.

(o) Vix ac ne vix quidem ante ſeculum XII. eam contigiſſe mutationem, *cit. jur. client. Sect. I. Cap. III.* oſtenditur. Quam veritatem laudatus ante Dn. CONRADI *cit. loc. obſervat. II.* duobus monumentis, nove confirmavit. Add. *obſervationes* proxime ſequentes.

(p) Notiſſimæ ſunt formulæ: einem das Haus in Lehen geben; einen an die Lehen ſchreiben, & ſimiles; licet de allodiis ſermo.

vel etiam rerum univerſitas, nexu fidelitatis *(q)* ſingularis intercedente, conceſſa ad uſum. *(r)* Præterea 2) FORMALITER accepto vocabulo, eſt *conventio*, qua dominus ac vaſallus nexu ſingularis fidelitatis rite inter ſe junguntur, atque huic res quædam, aut univerſitas rerum ac jurium, accedente inveſtitura, ad uſum conceditur. Denique 3) ſi EFFECTIVE uſurpetur, eſt *legitima facultas*, re, vel rerum univerſitate, beneficii titulo accepta, *utendi;* vel etiam

 hunc

(q) Intelligo hic fidelitatem, quam vocant, feudalem, die Lehens-Pflicht; cujus frequentiſſima hæc eſt conditio, ut vaſallus dominum præ aliis colere ac vereri, ſalutem ac fortunam ejus promovere, atque his adverſa avertere teneatur; ita quidem, ut beneficio privari queat, ſi hujus officii rationes turpius neglexerit. Neque enim ſeveriori ſimplex vaſallus pœna affici poteſt, quam ut beneficium ipſi aufferatur; cum civis contra, ſummo Imperanti, qui reipublicæ præeſt, perfecte ſubditus, vel ipſo capite plecti, aliisque, pro delictorum ratione, pœnis coerceri queat. Quid? quod & fidelitas feudalis adeo juncta eſt feudo, ut, hoc ſublato, & illa exſpiret; cum tamen perfectæ ſubjectionis civilis fides, omnibus quamvis facultatibus amiſſis, in cive perduret. Conf. *elementa* mea *jur. feud. cap. I §. 25. 26.*

(r) *Uſus* vocabulum hic denotat legitimam facultatem, aliquid ſaltem utilitatis ex re conceſſa percipiendi. Sive iſta utilitas *vera* fuerit, ad veram nempe beneficium accipientis felicitatem conducens; ſive *imaginaria;* hic parum, vel nihil refert. Nec temere iſthoc utor vocabulo; ſed ut omnibus omnino feudorum ſpeciebus definitio ſit quam aptiſſima.

hunc uſum *dirigendi*; (s) nexu ſingularis fidelitatis intercedente.

§. X.

Feudum imperii quid?

Feudum itaque IMPERII (t) mihi eſt, quod a ſupre-

(s) Feudi etenim vocabulum nonnunquam & *dominium directum* ſignare, cum aliis obſervavit G. A. STRUVIUS in *Syntagm. J. F. cap. II. th. 2. n. 3.* Add. *II. F. 9. in fin. II F. 34. ſ. 2. II. F. 55. ſ. 2. in fin.* Cujus generis formula quoque occurrit in *capitulatione* Auguſtiſſimi Imperatoris, CAROLI VI. *art. X.* prope ab initio: nec non CAROLI VII. *eod. art. ſ. 6* Dieweil vorkommen, daß etliche anſehnliche dem Reich angehörige Lehen in Italien und ſonſt veräuſert worden seyn ſollen; eigentliche Nachforſchung derentwegen anzuſtellen. &c. Ubi ſane vocabulo Lehen nihil aliud intelligi poteſt, quam dominium directum, Imperio competens, cujus legitime recuperandi cura Imperatori eſt impoſita.

(t) Imperii vocabulum *ſignificatus* utplurimum noſtratibus eſt *politici* ſpecialioris; ſingularem quippe Regni Germanici eminentiam complexum; quæ inde potiſſimum orta, quod Imperii Romani jura, cum elogio Imperiali, huic Regno quondam juncta. Quod quidem CAROLI M. ætate contigiſſe, cum aliis falſo arbitratur ITTERUS *de feud. Imp. c. I ſ. 11.* Ex genuinis enim hiſtoriarum monumentis nunc ſatis conſtat, imperii Romani Majeſtatem ſuæ tantum genti familiæque, non Germaniæ, CAROLUM M. acquiſiviſſe; novaque adeo opus fuiſſe OTTONIS M. occupatione, ac nova cum Romanis atque aliis Italiæ Ordinibus conventione, ſubſequutis temporibus aliquoties repetita, qua nexus ille, annuen-

ſupremo Imperii noſtri capite proxime eſt acceptum. *(u)*

nuentibus etiam Conſtantinopolitanis, fuerit perfectus. DITMARUS MERSEB. *chronic. lib. III. p. 334.* in LEIBNITII *ſcript. rer. Brunſu.* WITTICHINDUS CORBEIENSIS *annal. lib. III. p. 661.* in MEIBOMII *rer. German. Tom. I.* OTTO FRISINGENSIS *chronic. libr. VI. cap. 24.* Continuator REGINONIS *ad ann. 962. & 967.* apud PISTORIUM *tom. I. p. 109. & 112. circa fin. edit. Struvianæ.* Nonnunquam autem *Imperii* vox de ſolo etiam *Germaniæ* Regno uſurpatur, tanquam primario; cujus acceſſio, cum Italiæ Regno, evaſit Imperium Romanum. Conf. VITRIARII *J. J. P. lib. I. tit. IV. §. 4.* ibique PFEFFINGERI *not. ſub (b) p. 325 ſq.* Quid? quod hic vocis ſenſus & A. B. eſt concinnus; quippe in cujus *cap. V.* Vicariatus *Imperii* eo diſtribuuntur modo, ut Vicariorum alteri *partes Rheni & Sueviæ, & in jure Franconico; alteri loca, ubi Saxonica jura ſervantur*, adſignentur; quæ ſolius Regni Germanici ſunt partes. Qui ſignificatus & hujus tantiſper eſt loci.

(u) ITTERUS *de feud. Imp. cap. II. §. 12.* hanc tradidit explicuitque definitionem: *Feuda Imperii nihil aliud ſunt, quam* feuda ligia, *quæ Imperator, aut Imperii conſors elargitur, vaſallos ad fidelitatem ſibi atque Imperio exhibendam obſtringens. Cumque ligii feudi nomine id complectamur, quo fidelitatem, nullo excepto, quis domino præſtare obſtrictus eſt, omnia hæc noſtris feudis aptari poſſe, oſtenſu facile eſſet, idque pluribus adſtruunt* MYLERUS &c. Verum enim vero, ITTERUM ſola celeberrimorum, quos excitavit, virorum auctoritas, minime juvat,

§. XI.

Origines feudorum Germanicæ.

Varias de prima hujus inſtituti origine ſententias prolixasque Doctorum ea de re contentiones hic repetere non juvat; quas copioſius jam expoſuere plurium interpretum commentarii. *(x)* Id interea exploratum habeo, proximiores feudorum juſtorum origines ad Germanos eſſe referendas; licet inficias ire nequeam, in nonnullis aliarum gentium inſtitutis, atque in primis in BENEFICIIS *(y)* ROMANORUM, aliquam feudorum ſimilitudinem poſſe oſtendi.

§. XII.

juvat, ubi rerum argumenta deficiunt. Tantum enim abeſt, ut Imperii Ordines, ad Imperatoris juſſum, adverſus quoscunque ſervire teneantur; ut potius nullum ſine eorum conſenſu comitiali bellum, Imperii nomine, gerere queat Imperator.

(x) Egit ea de re quoque ITTERUS *Cap. I. §. 1. ſqq.* Conf. THOMASII *diſſ. de orig. feud.* it. SPENERI *primit. hiſtor. feud.* TELGMANN. *de Vaſallo p 4 ſqq.* Celeb. GEBAVERI *progr. de orig. feud.* quod Lipſiæ edidit anno 1727. Qui ſimul rationes incertitudinis expoſuit, *pag. 4 5. & 6.* Addatur BURIUS, ante laudatus, *cit. loc. p. 2 ſqq.*

(y) Sermo mihi eſt de beneficiis militaribus, quæ ad ALEXANDRI SEVERI ætatem referuntur. Inſigne eſt ÆLII LAMPRIDII, *in vita ALEX. SEVERI, cap. 58.* teſtimonium: *Sola, quæ de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita, ut eorum ita eſſent,* ſi heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, *dicens,* attentius eos militaturos, *ſi etiam ſua rura defenderent. Addidit ſane his & animalia & ſervos, ut poſſent colere, quod acceperant: ne per inopiam homi-*

§. XII.

Ut autem proximiores juſtorum feudorum origines *Origg. feudal Germ. rationes.*

---

hominum, vel per ſenectutem poſſidentium, deſererentur rura vicina barbariæ: quod turpiſſimum ille ducebat. Ad quem LAMPRIDII locum hæc annotavit CASAUBONUS: *eſt hic ſpecies quædam feudi, vel potius initia quædam ejus juris, quod poſtea varie introductum eſt, & feudorum appellatione deſignatum. Provocat deinde* ad ea, quæ VOPISCUS *in Probo* narrat: Veteranis *omnia illa, quæ anguſte adeuntur, Iſauriæ loca,* privatis *donavit, addens, ut eorum filii, ab anno octavo decimo, mares duntaxat, ad militiam mitterentur.* Quæ ſua quoque fecit CAROLUS du FRESNE *in gloſſar.* ſub voc. *feudum.* Rem magis illuſtrant GUNDLINGIANA *P. I. obſ. 1. ſſ. 11. 12 13. inque primis P. XV. O 2.* ubi, quæ & aliis placuit, ſententia pluribus argumentis defenditur: Germanos, poſtquam in Romanas provincias invaſerint, hoc beneficiorum militarium inſtitutum ita eſſe imitatos, ut inde orta ſint Germaniæ feuda, magis pedetentim magisque exculta. Quæ quamvis inſignem veri præ ſe ferre ſpeciem videantur; placuit tamen viris Celeberrimis, BURCARDO GOTTHELF STRUVIO, & JACOBO CAROLO SPENERO, dubiis GUNDLINGIO objectis, ſententiam hanc omnino declinare. Scilicet alter in *hiſtoria juris feudalis ad ſ. 3. not **** hæc habet: *Videmus hic prædia conceſſa iis, qui ipſa defendere vellent; vaſalli autem dominum ſuum ſequi ubivis tenentur in militia. Concedebantur iſta prædia jure hæreditario, cum feuda primitus ſaltem ad vitam precarii jure concederentur. Nullam reperimus ſingularem de fide obligationem; quæ tamen de eſſentia eſt feudorum.*

gines Germanis tribuerim, hæ potiſſimum rationes effece-

Nec credendum facile eſt, Francos, primos feudorum auctores, hunc a Romanis morem hauſiſſe, qui illorum inſtituta potius abominabantur. Immo, dum in Oriente ſaltim hæc beneficia, ut eo certius in barbarico ſolo limites ſuos defenderent, conceſſerint Romani; vix ita ad notitiam Francorum pervenire poterant. Alter equidem V. C. *in primitiis hiſt. feud. obſ. I. ſ. 6. not. (i)* largitur, quod in GUNDLINGIANIS jam demonſtratum, Germanos Romanorum mores imitatos eſſe, *dignitatesque Romanas in aula, curia, atque militia retinuiſſe*, publicisque *multis* inſtitutis *libenter uſos eſſe, ut & publicam rem ſuam ordinatiorem redderent, & præterea adſuetas publicis Romanorum legibus provincias eo felicius regerent.* Privatos *vero ſuos* mores *mordicus ſervaſſe Germanos, arbitratur; atque ex his feudorum inſtituta fuiſſe, quæ adeoque non a Romanis acceperint, ſed ex patria ſua & moribus ſuis attulerint. In teſtimonio* LAMPRIDII *meram Principis donationem deſcribi; nullam fidei conditionem imperatam; maleque igitur iſtis donatis plenoque & hæreditario jure conceſſis bonis convenire cum feudis.* Verum enim vero, qui ipſas, quas adduxi, obſervationes GUNDLINGIANAS, atque in primis poſteriorem, curatius perlegerit, is certe ſine negotio intelliget, potiora jam in illis apparere momenta, quæ ad ſolvenda dubia facere queant. Dicam ego interea modeſtius, quæ præſens poſcere occaſio videtur; ſolo veri, partium omnino nullo, ſtudio permotus. Scilicet perſuaſiſſimum mihi eſt, beneficiis iſtis Romanorum admodum cum feudis convenire. Ut ut enim vero eſt concinnum, quædam fuiſſe donata veteranis

effecere. INITIO etenim antiquiores Germanicarum

ranis inermibus: hic tamen de ejusmodi beneficiis ſermo eſt, quæ poſſidebantur a militibus, ad bellicum armorum uſum aptis; a quibus nec in alios heredes tranſibant, præterquam pariter militiæ capaces, beneficis ejusmodi largitionibus excitandos, ut attentius, majorique fide, in publicam civitatis ſalutem, militarent. Conf. THEODOSII *nov. 31. de ambitu & locis limitaneis.* Quæ cum ita ſint, & *militia bene ordinata ad rempublicam fœlicius regendam non parum conducat;* vix ullum cuiquam ſupereſſe credo dubium, quin iſta beneficia *ad publica Romanorum inſtituta* ſint *referenda;* & quin poſſeſſoribus *fidei militaris conditio* fuerit imperata. Porro quis, quæſo, hæc probe perpendens, affirmabit, hujus generis beneficiarios adeo glebæ fuiſſe adſcriptos, fundisque affixos, ut nec Ducem unquam ſequuti fuerint in militiam. Denique, non ſolum in oriente, ſed & in occidente, ejusmodi beneficia militaria uſu viguiſſe, jam oſtendit JACOBUS GOTHOFREDUS *in comment. ad Cod Theodoſ. tit. de rei vindicatione*, nec non *tit. de terris limitaneis.* Verum enim vero, quamvis horum, quæ in diſſertatione, hic repetita, in medium quondam protuli, me plane, non pœniteat; id tamen diffiteri nunc minime poſſum, in eo aliquid humani paſſum videri, cujus memoriam de cetero ſummo colo opere, GVNDLINGIUM, quod LAMPRIDII verba: *nec unquam ad privatos pertinerent*, eum in modum ſit interpretatus, ut inde *publicum Imperii Romani dominium*, intuitu iſtorum beneficiorum militarium, conſervatum, patere, exiſtimaverit; quum tamen integer verborum nexus doceat, ea tranſire haud potuiſſe

rum rerum ſcriptores ejusmodi beneficiorum clientelarium exempla adducunt, quæ ex aliarum gentium inſtitutis vetuſtioribus nemo huc usque certo demonſtravit. POST, & Germanos juſtorum feudorum inſtitutum ad peregrinas, in quas migrarunt, regiones tranſtuliſſe, conſtat. DEINDE & leges Germanorum antiquiſſimæ de feudis conceptæ rem confirmant. PRÆTEREA veterum Germanorum, ante quos fide ac virtute bellica nulli mortalium fuere, *(z)* quique libertati admodum ſtuduere, genio hoc beneficiorum inſtitutum perquam fuit concinnum. PORRO & æris, quo fidelium bene merita, conſtitutis ſalariis, remunerarent, copia majores noſtri caruerunt, atque adeo, prudentia duce, merito beneficia pro ſtipendiis elegere. DENIQUE nec ſilentio prætereundum, non pauca, quæ in jure feudali occurrunt, vocabula eſſe Germanica; unde non leve etiam, pro prima, quam defendimus, juſtorum feudorum inter Germanos cultura, oritur argumentum. *(a)*

§. XIII.

Taciti ævo nondum exſtitere feuda.

Minime tamen eam feudorum in Germania antiquitatem ſtatuo, ut eadem â TACITI ætate repetenda

ſe in *alios*, *quam milites;* qui *alii* hoc in loco *privati* vocantur.

(z) Hoc Germanos elogio extollit TACITUS *annal. libr. XIII. C 54.*

(a) STRUVII *Synt. jur. feud. C. I. ad aphor. 3.* EYBENII *electa jur. feud. C II. ſ. 1. 5. 6. Cap. IV. ſ. 1. ſqq.* ITTERUS *de F. J. C. 1. ſ. 7.* THOMAS. *diſſ. de origin feudal. ſ. 13. cum annotationibus.*

tenda cenſeam. Quæ enim pro hac *(b)* ſententia in medium producuntur, argumenta non, niſi occaſionem remotiorem, ut & veſtigia quædam atque incunabula feudorum demonſtrant; ita quidem, ut vero non ſit diſſimile, intimum illum, quem TACITUS *(c)* laudat, virtutis ac fidei inter principem fidiſſimosque comites nexum, in poſteris etiam dubio procul continuatum, ortis tandem juſtis beneficiis viam paraſſe *(d)*.

(b) G. A. STRUVIO hæc vulgo tribuitur ſententia; qui tamen dubius in *Syntagm. jur. feud. cap. I. theſ. III. n. (3)* eam proponit: *occaſionem*, inquiens, *& ſeminaria feudorum introductorum in Germania fortaſſe deducere licet ex* TACITO, *qui libell. de morib. Germ. pluribus tradit, principes amplo comitatui ſtuduiſſe, quem ex bello aluerint & ad bellum conduxerint; de illis comitibus inter alia hæc quoque ſcribens:* infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtites principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro victoria pugnabant, comites pro principe. *Hæc* TACITUS. *Conſtat ex his verbis, quod Germani Principes habuerint comites, qui ipſis fidelem in bellis exhiberent operam. His fidelibus credibile eſt, conceſſa poſtea fuiſſe à principibus prædia, tum in ipſis Germanorum, tum etiam in occupatis bello terris, ſub conditione fidei & ſervitii militaris.*

(c) Cap. XIV. de morib. German.

(d) Nec plus probant argumenta SPENERI, qui *in primit. hiſt feudal. p. 24. ſqq.* STRUVII ſententiam ſuam fecit, atque a SCHILTERI aliorumque objectionibus defendit.

§. XIV.

Juſta Francorum feuda.

Id interea certum eſt atque evictum. Merovingicorum Regum ætate inſignem jam feudorum juſtorum in Germania uſum fuiſſe. *(e)* Nullumque amplius eſt dubium, quin ſub CLODOVEO M. *(f)* ejusque poſteris beneficia fuerint frequentiora, ac magis pedetentim magisque formata. Neque vero eſt abſimile, jam ante CLODOVEUM M. eadem Germaniæ populis uſurpata fuiſſe *(g)*. §.XV.

(e) Quod oſtendit ANTONIUS DADINUS ALTESERRA, *de origine & ſtatu feudorum pro moribus Galliæ.* It. *libr. de Ducibus & Comitibus provincialibus Galliæ.* Novis vero obſervationibus rem confirmavit THOMAS. *diſſ de originibus feudalibus.* Conf. ITTERUS *de F. J. Cap. I. §. 9.*

(f) Inſigne eſt, quo & alii uſi ſunt, AIMOINI teſtimonium, qui *hiſtor. libr. I. Cap. XIV.* hæc narrat: *Cum CLODOVÆUS regnum ſuum usque Sequanam, atque poſtmodum usque Ligerim, fluvios, ampliaſſet,* Milidunum caſtrum *AURELIANO*, cum totius ducatu regionis, *jure beneficii, conceſſit.* Quamvis autem AIMOINUS ad ſeculi X. finem vixerit; ſine dubio tamen ex RORICONE (qui Monachus GREGORIO Turonenſi coævus cenſetur, cujusque *geſta Francorum* ANDREAS du CHESNE *tom. I. hiſtor. Franc. ſcriptor. coætan.* inſeruit,) hæc ſua depromſit, quæ & THOMASII in diſſ. *de orig. feud. ſub §. 12. not. (o)* eſt conjectura. Illius etenim monachi *lib. II. p. 806* hæc ſunt verba: *In diebus illis dilatavit CLODOVEUS Francorum regnum usque ad Sequanam, & accipiens caſtrum Milidunenſem, tradidit eum AURELIANO Legatario, eumque Ducem provinciæ illius eſſe inſtituit.*

(g) Proſtat locus ex CASSIODORI *variis* in GUNDLINGIANIS

§. XV.

Ceterum beneficia Francorum Reges alia OFFICII EMINENTIORIS, alia MINISTERII INFERIORIS cauſſâ dederunt. ILLUD erat munus Regni publicum, quod, præter eminentiorem dignitatem, regendi quoque atque adminiſtrandi poteſtatem complectebatur; quale erat Ducum Comitumque. MINISTERIUM erat eorum, qui parebant ac ſerviebant, à ſingulari iſta dignitate ac poteſtate excluſi. *Alia officii, alia miniſterii cauſſa data.*

§. XVI.

Duces hac ætate non ſolum rei militari præerant, exercitusque ducebant; ſed & integras regni provincias regebant, Regisque nomine tum belli tum pacis negotia adminiſtrabant *(gg)*. Cujusmodi Ducem ſubactæ THURINGORUM provinciæ impoſitum *Ducum officium.*

C 2 novi-

GIANIS *P. I. O. I. p. 11.* quo Regius iſte Cancellarius de uſu beneficiorum militarium, Regis Gothorum THEODORICI ætate, teſtimonium perhibuit. Paria non ſolum de Gothis, ſed & de Herulis, Burgundionibusque loca SPENERUS *in primit. hiſt. feud. obſ. I. p. 36. ſq.* adduxit, eum quidem in finem, ut, feuda jam ante Francorum Regnum, ſtatim a Germanicarum gentium migrationibus, ſtabilita fuiſſe, demonſtret. Quam tamen ego ſententiam non amplector.

(gg) Huc pertinent ALTESERRÆ, quæ in *tract. de Ducibus & Comitibus, p. 16. edit. Eſtorianæ,* proſtant, verba: *Inde eſt, quod, in formula Ducatus apud MARCULFUM, Ducibus mandatum, ut populos ſibi creditos, Francos, Romanos, vel Burgundiones, ſecundum legem & conſuetudinem ſingulorum, regerent.*

novimus. *(b)* Eadem fuere ALEMANNORUM

(b) Cum Galliam ad Ligerim usque omnem perdomuiſſet CLODOVEUS M. Rheno transmiſſo, cum Thuringis bellum felici eventu confecit, ac Thuringiam, ante jam â Francis tentatam, in clientelam redegit, reddiditque tributariam. GREGORIUS TURONENSIS *in fin. Cap. XXVII. libr. II.* hiſtoriæ Francorum: *decimo regni ſui anno Thuringis bellum intulit, eosdemque ſuis ditionibus ſubjugavit. GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. X: CHLODOVEUS exinde decimo anno Regni ſui, commoto exercitu magno, valde in Thoringiam abiit, ipſosque Thoringos plaga magna proſtravit. Deviſtoque ipſo populo, totaque eorum terra vaſtata, ipſos Thuringos tributarios Francorum fecit.* Poſt CLODOVEI fata, ortis novis diſſidiis, ipſius filius, THEODORICUS, Thuringos denuo devicit, atque eorum terras in provinciam redegit. GREGORIUS TURONENSIS *libr. III cap. 7: Poſt THEODORICUS, non immemor perjurii HERMINEFREDI, Regis Thoringorum, CHLOTARIUM, fratrem ſuum, in ſolatium evocat, & adverſum eum ire diſponit. - - - - Denique cum ſe Thoringi cædi vehementer viderent, fugato præ timore HERMINEFRIDO, Rege ipſorum, terga vertunt, & ad Oneſtrudem fluvium usque perveniunt. Ibique tanta cædes ex Thoringis facta eſt, ut alveus fluminis congerie cadaverum repleretur, & Franci, tanquam per pontem aliquem, ſuper ea in littus ulterius tranſirent. Patrata ergo victoria, regionem illam capeſſunt, & in ſuam redigunt poteſtatem.* Scilicet in Francorum redacta tunc (anno O.R. 524.) eſt poteſtatem *Thuringia auſtralis;* Saxonibus autem, velut Fran-

RUM *(i)* ac BOJORUM *(k)* fata. Nec minus

Francorum ſociis atque adjutoribus, ceſſit pars ſeptentrionalis; prout oſtendit SAGITTARIUS *in epiſtola de antiquo ſtatu Thoringiæ, p. 27 ſq.* Et cum Francorum Regibus ſolenne fuerit, in regendis provinciis vicaria Ducum poteſtate uti; vero etiam eſt ſimillimum, & huic provinciæ devictæ Ducem fuiſſe præfectum. Conjecturam hanc confirmant, quæ de RADULPHO, Thuringiæ Duce, FREDEGARIUS SCHOLASTICUS *in chron. cap. 77.* his verbis narrat: *RADULFUS DUX, filius CHAMARI, quem DAGOBERTUS Toringiæ Ducem inſtituit, pluribus vicibus cum exercitu Winidorum dimicans, eosque victos vertit in fugam. Hujus victoriæ ſuperbia elatus, & contra ADALGISELUM Ducem diverſis occaſionibus inimicitias tendens, paulatim contra SIGEBERTUM jam tunc cœperat rebellare.* Præterea ejusdem *chron. cap. 87.* huc ſpectat, ex quo nonnulla excerpta dabo: *Cum anno VIII. SIGIBERTUS,* (DAGOBERTI M. filius natu minor, ad quem etiam Thuringia Francica ſpectabat,) *regnaret, RADULFUS DUX TORINGIÆ, vehementer contra SIGIBERTUM rebellandum diſpoſuiſſet, juſſu SIGIBERTI omnes leudes Auſtraſiorum in exercitum gradiendum banniti ſunt. - - - SIGIBERTUS deinde Bugoniam* (Sylvam) *cum exercitu tranſiens, Toringiam properans, - - - RADULFUS cum aliquibus Ducibus exercitus SIGIBERTI fiduciam haberet, quod ſuper ipſum non voluiſſent viribus inruere, de caſtro per portam prorumpens, ſuper exercitum SIGIBERTI cum ſuis inruens, tanta ſtrages RADULFO cum ſuis de exercitu SIGIBERTI fitur, ut mirum fuiſſet.*

SIGI-

Franci, in novam ducti provinciam, quæ FRANCONIÆ

. . . . *SIGIBERTUS & exercitus ejus ad proprias ſedes remeant. RADULFUS, ſuperbia elatus, AD MODUM REGIS IN TORINGIA ſe eſſe cenſebat, amicitias cum Winidis firmans, ceterisque gentibus, quas vicinas habebat, cultum amicitiæ obligabat. IN VERBIS TAMEN SIGIBERTO REGIMEN NON DENEGABAT. Nam in factis fortiter ejusdem reſiſtebat dominationi.* Ceterum de antiquo Thuringiæ Regno vid. SAGITTARII *antiquitates Regni Thuringici.* Add. ejusdem *antiquitates Ducatus Thuringici.* Conf. V. C. JO. JAC. MASCOVII Geſchichte der Teutſchen, *XI.* Buch *ſ. 46. ſqq.* it. *in appendice V.* und *VI* Anmerckung, *p. 16. ſqq.*

(i) Alemannos, Franciceæ potentiæ diu æmulos, acri ad *Tolpiacum* (ſeu *Alpiacum*, quippe Alemannorum finibus vicinum, prout GUNDLINGIUS oſtendit in *Gundlingianis P. III. O. II. ſ. 23.* Conf. Celeb. Dn. ESTOR in *commentar. de miniſterial. Cap. II. ſ. 83.*) prælio anno 496. à CLODOVEO M. devictos eſſe, id quidem omnibus eſt notiſſimum, ut adeo probationibus minime hic opus videatur. Quis autem devictæ gentis poſtea ſtatus fuerit, ea anceps profecto eſt quæſtio. Sunt equidem, qui, *formulam Sueviæ eam fuiſſe, ne proprio jure magiſtratuque uteretur; ſed fiſco Regio immediate adſcripta eſſet*, arbitrantur. Verum ſalva nihilominus res eſt. ECKEHARDUS enim JUNIOR *de Caſibus S. Galli cap. 1.* qui, *nondum adhuc illo tempore Sueviam in Ducatum fuiſſe redactam, ſed fiſco Regio peculiariter paruiſſe*, teſtatur, cujusque potiſſimum fide adducta firmatur ſententia, de recentiori ætate eſt intelligendus; quippe qua Sueviæ Ducatus vacavit, a CONRADO

NIÆ nomen ab ipſis accepit, ducibus paruere. *(l)*

§. XVII.

RADO I. reſtitutus. Ipſe ECKEHARDUS *loc. cit. pag 18.* apud GOLDASTUM *tom. I. rer. Alemannicar.* hæc habet: *Rex* (CONRADUS) *primo colloquium publicum Moguntiæ, poſtea generale edixit concilium, ubi tribus illis* (ERCHANGERO, BERTOLDO, LUITFRIDO, Regiæ cameræ præfectis, publicæ pacis turbatoribus, ut ex iis, quæ eodem capite antecedunt, liquet,) *lege abjuratis & præſcriptis, prædiisque eorum in fiſcum redactis, majeſtatis reis capita damnata ſunt. - - - - Sueviæ Principum aſſenſu ſtatuitur Alemannis DUX primus BURKHARDUS, gentis illius nobiliſſimus, & virtutum dote præſtantiſſimus; cui & prædia damnatorum confiſcata in beneficium ſunt tradita.* Neque terrere nos debet *primi Ducis*, quam hic cernimus, appellatio; quippe quam cum grano ſalis accipiendam eſſe, genuina docent veterum monumenta, quæ antiquiores nobis ſiſtunt Duces Alemannorum. Qui CLODOVEI M. victoriam narrant, veteres ſcriptores, Ducis, provinciæ ab ipſo impoſiti, nullam faciunt mentionem. GREGORIUS TURONENSIS *libr. II. hiſt. Franc. cap. XXX.* ita: *Alemanni terga vertentes in fugam labi cœperunt. Cumque Regem ſuum cernerent interemtum, CLODOVEI ſe ditionibus ſubdunt, dicentes: ne amplius, quæſumus, pereat populus; jam tui ſumus. At ille, prohibito bello, coarctatoque populo, cum pace regreſſus, narravit Reginæ, qualiter per invocationem nominis Chriſti victoriam meruit obtinere. GESTA FRANCORUM cap. XV. apud* ANDR. du CHESNE *Tom. I. p 701.* hæc addunt: *ipſos terramque eorum ſub jugo tributario conſtituit.* Paria leguntur in *FRAGMEN-*

TIS

TIS DE REGUM FRANC. REBUS PIE GESTIS, ibid. p. 526. Conf. RORICONIS *geſta Francorum libr. II. ibid. p. 806. C.* Interea tamen CLODOVEI nepotem, THEODOBERTUM, Auſtraſiæ Regem, hujusque filium, THEODOBALDUM, Alemannis *Duces*, LEUTHARIUM & BUCELINUM, fratres, præpoſuiſſe, atque BUCELINUM inprimis Francorum res in Italia adverſus BELISARIUM & NARSETEM fortiter ſuſtinuiſſe, novimus. AGATHIÆ SCHOLASTICI *hiſtoria de rebus Juſtiniani Imperat. Libr. I* apud ANDR. du CHESNE *Tom. I. p. 242. C.* hoc nobis teſtimonium præbet: *LEUTHARIS & BUTILINUS, tametſi id Regi ipſorum* (THEODOBALDO) *minime placebat, belli cum eis* (Gothorum legatis) *ſocietatem inierunt. Erant hi duo germani fratres, genere quidem Alemanni, maximam vero apud Francos potentiam conſecuti*, adeo, ut *NATIONI IPSORUM PRÆESSENT, a THEODIBERTO primum accenſi.* GREGORIUS TURONENSIS *libr. III. cap. 32 THEODOBERTUS in Italiam abiit, & exinde multum acquiſivit. - - - Dicitur tamen tunc temporis usque TICINUM acceſſiſſe civitatem, in qua BUCELLINUM rurſum dixerit. Qui, minore illa Italia capta atque in ditionibus Regis ante dicti redacta, majorem petiit: in qua contra BELLISARIUM multis vicibus pugnans, victoriam obtinuit. Cumque Imperator vidiſſet, quod BELLISARIUS crebrius vinceretur; amoto eo, NARSETEM in ejus locum ſtatuit. - - - BUCCELLINUS vero contra NARSETEM magna certamina geſſit, capta omni Italia, usque in mare terminum dilatavit. Theſauros vero magnos ad THEODOBERTUM de Italia direxit. - - - Deinceps vero BUCCELLINUS Siciliam occupavit, de qua etiam tributa exigens, Regi transmiſit.* Præterea *libr. IV. cap. IX: Sub eo*

(THE-

(THEODOBALDO) *BUCELLINUS, cum totam Italiam in Francorum regnum redegiſſet, a NARSETE interfectus eſt, Italia ad partem Imperatoris capta, nec fuit, qui eam ultra reciperet.* THEODOBERTI II. ejusque ex fratre nepotis, SIGEBERTI II. ætate floruit Dux Alemannorum celeberrimus, CUNZO I. De quo WALAFRIDUS STRABO, Abbas Augienſis, *in vita B. Galli libr. I. cap. XV.* apud GOLDASTUM, *rerum Alemann. Tom. I. p. 150.* hæc cum aliis memoriæ prodidit: *GUNZONIS DUCIS epiſtola venit ad Presbyterem, præcipientis illi, ut die duodecimo ad Iburningas villam veniret, & virum Dei ſecum adduceret. Nam filiam ejus, nomine Frideburgam, quæ illi erat unica, ſingulari pulcbritudine fulgens, ſpiritus invaſit malignus. - - - - Hanc ob cauſam pater ejus nuntios miſit ad Regem SIGIBERTUM, THEODORICI filium, QVI EAM HABUIT DESPONSATAM, ut ei nuntiarent, quicquid circa puellulam agebatur. - - - - WILLIMARUS Presbyter, volens tempore per epiſtolam definito ad Ducem venire, dixit beatiſſimo Gallo: SCIS DUCIS MANDATUM, eamus ad eum. Et ille, tuum eſt, inquit, boc iter, non meum. Tu ergo proficiſcere: QVID MIHI CUM PRINCIPIBUS SECULI? nam in beremum, unde exivi, revertar. Noli, ait, ita agere, ſed perge mecum, NE FORTE DUX, qui in vexatione filiæ nimium contriſtatur, IRA COMMOTUS MITTAT SATELLITES, TEQVE VINCTUM ILLUC FACIAT PERDUCI &c.* Confer *capp. ſeqq. ibid.* & ex *capite XIX XXIV.* nec non *XXV.* patebit, DUCEM CUNZONEM, filia ad ſaniorem mentem reducta, non ſolum donis S. Gallum (qui pauperibus ea deinde diſtribuerit,) affeciſſe, ſed & poſtulaſ-

D ſe,

ſe, *ut apicem Pontificialis gradus dignaretur aſſumere;* hoc vero honorem repudiante, JOHANNEM Diaconum, ab ipſo commendatum, ſub auſpicio Ducis GUNZONIS, Epiſcopum Conſtantienſem fuiſſe electum atque ordinatum. Quæ aliquam Ducis hujus poteſtatem & in negotiis eccleſiaſticis demonſtrare mihi videntur. Dux etenim S. Gallo Epiſcopatum obtulit; deinde Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos totius Alemanniæ Conſtantiam, electionis gratia, convocavit; ipſe quoque cum Principibus & Comitibus huic conventui interfuit, eundemque ſuo moderamine direxit. De LEUTHERIO, ADALRICO, aliisque, qui ſucceſſerunt, Alemanniæ Ducibus conſule PFEFFINGERI *Vitr. illuſtrat. libr. I. Tit. XVI. vol. II. p. 293. ſqq. edit. recent.* Qui &, CONSTANTINI M. ætate proprios, ipſis Reges fuiſſe, *p. 289.* oſtendit. Quid? quod & in vetuſtiori Alemannorum lege nonnnlla occurrunt capita, hic notatu digna. Cap. 23. *de eo, qui mortem Ducis conſiliatus fuerit.* Cap. 27. *de eo, qui ſigillum aut mandatum Ducis neglexerit.* Cap. 28. *de eo, qui in curie Ducis hominem occiderit.* Cap. 29. *de eo, qui miſſum Ducis infra provinciam occiderit.* Cap. 31. *de eo, qui res Ducis furatus fuerit.* Cap. 32. *de fœminis, qui in miniſterio Ducis ſunt.* Cap. 33. *de eo, qui præſumſerit, intra provinciam res Ducis hoſtiliter invadere.* Cap. 34. *de filio Ducis, qui contra patrem ſuum ſurrexit.* Summa hæc eſt capitum, quæ prolixius legi poſſunt in GOLDASTI *tom. II. rer. Alemannic. p. 14. 15.* Lex autem Alemannorum, teſte prologo, auctorem habuit THEODORICUM I. CLODOVEI M. filium; deinde a ſucceſſoribus CHILDEBERTO, CLOTARIO II. & DAGOBERTO emendata ac per-

fecta.

fecta. CAROLUS du FRESNE *in gloſſar. voc. lex. Alemann. tom. II. p. m. 264.* CONRINGIUS *de origin. jur. German. cap. IX p. 40.* SCHILTERI *Inſtit. jur. publ. libr. I. tit. IV. ſſ. 7.* Nihilominus tamen vero eſt ſimillimum & CLODOVEUM *devictis Alemannis jam leges ſanxiſſe;* quod & defenditur in GUNDLINGIANIS *P. III. O. II. ſſ. 25.* Unde ſine dubio quoque *jus Allemannicum* dictum eſt *Francicum;* velut Francorum mori ac legibus in pluribus attemperatum. Conf. GUNDLINGII *digeſta p. 35. ſſ. 31.* Cui accedit laudatus paulo ante Dn. ESTOR in *analectis ad* SCHANNATII *client. Fuld. benefic. ſect. I. ſſ. 9. p. 33.*

(k) CLODOVEUM M. Bojos, Alemannorum ſocios, eodem ad Tolpiacum prælio viciſſe, teſtis eſt AVENTINUS *in annal Bojorum libr. III. cap. I.* ac Bojos tum fœdus cum Francis perpetuum pepigiſſe, his conditionibus: *Boji de corpore ſuo, ubi opus fuerit, Principem legant; at DUCEM, non Regem, appellent. Reges Francorum autores ſiant. In Bellis auxilio Francis ſint Boji; eosdem pro amicis & hoſtibus habeant. Cæterum ſuis inſtitutis ac legibus vivant.* Quem & recentiorum nonnulli ſequuntur. Qui autem veterum hiſtoriæ Francicæ ſcriptorum monumenta perluſtraverit, ne ullum quidem illius victoriæ fœderisque veſtigium offendet. Quare injurius in AVENTINUM haud eſſe videtur ANDREAS BRUNNERUS, *parte I. rerum Boicarum libr. IV. C. 6.* eundem, ſolita vanitate, fortunam Boiorum & hic Alemannorum calamitatibus admiſcuiſſe, arbitratus. Cuius hæc porro eſt coniectura, minime profecto ſpernenda, Bojos, ſive prudenti metu perculſos, ſive fortitudinis ac felicitatis Francicæ ſtupore atque admiratione ductos, a THEODORICI Oſtro Gothorum Regis, cui paruerant, obitu, in

D 2 Fran-

Francorum clientelam ſponte conceſſiſſe. Spontaneam eorum deditionem æque propugnavit ADLZREITERUS *in Annal. Boicæ gentis, parte I. libr. VI. cap. VI.* Atque hanc deditionem THEODORICI I. Francorum Regis, CLODOVEI M. filiorum natu maximi, gloriæ vindicandam eſſe, vel inde vero ſimillime liquet, quod idem Rex LEGEM BOJOARICAM ſanxit, a ſucceſſoribus tamen pariter emendatam ac perfectam. Teſtem habemus prologum huius legis: *THEODORICUS, Rex Francorum, cum eſſet Catalaunis, elegit viros ſapientes, qui in regno ſuo legibus antiquis eruditi erant. Ipſo autem dictante, juſſit conſcribere legem Bojovariorum &c.* BRUNNERUS *cit. loc. it. cap. X.* ADLZREITERUS *cit. loc.* CONRINGIUS *de orig jur. Germ. cap. IX.* GUNDLINGIANA *P. III. O. II. p. 268.* Inſignem gentis & poſt ſubjectionem fuiſſe libertatem, vel ſola DUCUM ex nobiliſſima AGILOLFINGORUM familia electio demonſtrat. Ecce LEGIS BOJOAR. *tit. II cap. XX.* teſtimonium: *Dux, qui præeſt in populo, ille ſemper de genere AGILOLFINGORUM fuit, & debet eſſe, quia ſic Reges, anteceſſores noſtri, conceſſerunt eis, ut, qui de genere illorum FIDELIS REGI erat & prudens, ipſum conſtituerent Ducem, ad regendum populum illum.* Quemadmodum autem ex his jam eſt manifeſtum, Ducem quoque Bojoariæ ſingularis fidei nexu Regi obnoxium fuiſſe, ita ejusdem *tit. II. cap. IV.* rem confirmat. *Si quis autem Dux de provincia illa, quem Rex ordinaverit, tam audax, aut contumax, aut levitate ſtimulatus, ſeu protervus & elatus, vel ſuperbus atque rebellis fuerit, qui decretum Regis contemſerit, DONATO DIGNITATIS IPSIUS DUCATU CAREAT.* Quare & nimia tumidos potentia ac rebelles

Bojos

Bojos CAROLUS MARTELLUS ejusque filii, PIPINUS ac CAROLOMANNUS, in ordinem redegerunt. FREDEGARIUS *in chron. cap. 108. 110.* BRUNNERUS *libr. V. cap. VIII. prope a fine*, it. *cap. IX. X. & XI.*

(l) Scilicet mox a CLODOVEI obitu nouam hanc Franci in Alemannorum ſolo condidere provinciam; latius tamen, ac hodie, patentem; ex qua ſingularis Franciæ Ducatus ortus. Hujus equidem primordia JOHANNEM TRITHEMIUM *libr. de origine Francorum* apud SCHARDIUM *tom. I. rer. Germ. p. 151. ſqq.* ab anno O. R. CCCX. repetiiſſe, conſtat. Verum hunc narraſſe hac in re fabulam, omni veterum ſcriptorum teſtimonio deſtitutam, peritioribus jam eſt obſervatum. Id interea tuto affirmare licet, *Seculo VII.* & Franciæ huic orientali DUCES vicario imperio præfuiſſe, belli pacisque moderatores. GESTA B. KILIANI SCOTI, epiſcopi Herbipolenſis, *cap. IV.* in Dn. de LUDEWIG *collect. ſcriptor. Herbipol. p. 967* hæc habent: *Veniens igitur* (B. KILIANUS) *ad prædictum oppidum ORIENTALIS FRANCIÆ, Wirciburg, non eum, quem in eadem provincia DUCEM reliquerat, ſed alium, nomine GOZBERTUM &c.* Adde *cap. V.* ex quo patet, non ſolum ipſum hunc Ducem, S. KILIANI doctrina captum, in chriſtianorum caſtra tranſiiſſe; ſed & omnes pene provinciæ incolas, Ducem ſequutos, relicto idolorum cultu, chriſtiani religioni operam dediſſe. Quem DUCEM GOZBERTUM anno DCCVI. diem obiiſſe ſupremum, refert TRITHEMIUS apud SCHARDIUM *cit. tom. I. p. 155. n. 19.* Celebris quoque eſt Dux HETANUS, cujus EGILWARDUS *in vita S. BURCHARDI Herbipolenſis libr. II. cap. IV.* meminit; ex quo ſua procul dubio hauſit TRITHE-

§. XVII.

Comitum officium.

Comites *(m)* minoribus provinciarum tractibus, quos

MIUS, *cit. p. n. 21.* hæc referens: *HETANUS patri* (GOZBERTO) *ſucceſſit in Ducatu annis XX. qui ſine filiis moritur anno DCCXL. Itaque PIPINUS, Major domus, poſtea Rex Francorum, Ducatum vacantem ad ſe recepit, & filio ſuo, CAROLO, procurandum decennio commiſit. &c.*

(m) Comites a comitando primum dicti ſunt aulæ Romanæ atque Imperatorii Palatii Proceres, quod Principem ſectarentur, eiusque lateri adhærerent, ſeu domi maneret, ſeu in expeditionem proficiſceretur. Vocemque hanc, a Romanis deſumtam, deinde pagorum ac civitatum præfectis, de quibus hic agimus, applicatam eſſe, non pauci arbitrantur; cum & ê ſuo comitatu probatisſimos ad iſtam ſpartam Reges Francorum elegerint, atque in provincias ablegaverint. CAROLUS du FRESNE *in gloſſario medii ævi voc. Comes.* VITRIARIUS *in inſtit. jur. publ. L. II. T. XVII. ſ. 1.* Laudatus BURIUS *cit. loc. p. 262. ſq.* Quam & meam facio ſententiam; in primis ob locum, quem in *vita LUDOVICI PII ad annum. 804.* du CHESNE *tom. II hiſt. Franc. ſcript. coët. p 303.* exhibet: *ſtatutum eſt etiam*, NB *JUXTA ANTIQUUM MOREM, ut EX LATERE IMPERATORIS mitterentur, judiciariam exercentes poteſtatem.* Alii tamen a vetuſtioribus Germanorum comitibus nomen ortum eſſe exiſtimant; quorum TACITUS *libr. de morib. Germ. cap. 12.* verbis hunc in modum conceptis mentionem fecit: *eliguntur in conciliis & principes, QUI JURA PER PA-*

quos pagos *(n)* vocare ſolemus, nec non civitatibus *(o)* Francorum Reges, cum poteſtate juris dicendi, *(p)*

PAGOS VICOSQVE REDDUNT; centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas, adſunt. CONRINGII *diſſ. de Duc. & Comit. Germ. ſ. 6.* KULPISII *commentat. in* MONZAMBANUM *part. II. p. 5. ſq.*

(n) Vetuſtiſſima eſt Germanicarum provinciarum in pagos diſtributio. JULIUS CÆSAR *de bello Gallico libr. IV. cap. I* hujus rei teſtis eſt: *Suevorum gens eſt longe maxima & bellicoſiſſima Germanorum omnium. Ii CENTUM PAGOS habere dicuntur.* In memoriam hic quoque revocandum eſt TACITI, quod ſub littera (m) adduxi, teſtimonium. Pagus autem, ut ego rem capio, ſaltem Regum Francorum ætate, nil aliud fuit, quam minor majoris provinciæ tractus, oppida, arces, vicos, villasque complexus, (ein Gau, ein Canton.)

(o) Majoribus etiam Francorum civitatibus antiquitus jam Comites præfuiſſe, GREGORIUS TURONENSIS *libr. V. hiſt. Franc. cap. XIII.* refert: *CHRAMNUS his diebus apud ARVERNUM reſidebat. - - - FIRMINUM A COMITATU URBIS, graviter injuriatum, abegit, & SALUSTIUM, EVODII filium, ſubrogavit.* Idem *Libr. VI. cap. XXII. teſtatur: Rex CHILPERICUS, pervaſis civitatibus fratris ſui, novos Comites ordinat, & cuncta jubet ſibi URBIUM TRIBUTA DEFERRI. Quod ita impletum fuiſſe cognovimus. His diebus adprehenſi ſunt, duo homines a NONNICHIO, LEMOVICINÆ URBIS COMITE, deferentes ex nomine CHARTERII, Petrogoricæ urbis Epiſcopi, literas, quæ multa improperia loquebantur*

(*p*) præfecerunt, Ducumque moderamini, boni ordinis

quebantur in Regem. &c. Plura ejusdem loca, de urbium comitibus loquentia, prætermitto. Conferri autem meretur ALTESERRA *de Ducibus & Comitibus provincialibus, cap. IV. p. 10. edit. Toloſanæ;* ESTORIANÆ *vero, quæ Gieſſæ prodiit, p. 14.* qui, inde eſſe, exiſtimat, ut Comites Epiſcopis, Duces Archiepiſcopis fuerint æquati; quia Epiſcopi ſingularum ſint civitatum, Archiepiſcopi univerſæ provinciæ. Et quamvis de Galliæ civitatibus ſermo ſit in adductis teſtimoniis; vero tamen eſt ſimillimum, & in paucis, quæ tunc temporis fuere, Germaniæ urbibus eundem primos Francorum Reges morem ſervaſſe. Saltem CAROLI M. ætate ejusmodi civitatum Germaniæ Comites jam uſu viguiſſe, ex *Capit. CAROLI M. libr. II. cap. 25.* (in edit. STEPHANI BALUZII *Tom. I. p 743*) liquet: in *VESONTIO, quæ eſt Diœceſis BERNOINI Archiepiſcopi, HERMINUS Epiſcopus, & MONOGOLDUS COMES. In MOGUNTIA, quæ eſt Diœceſis HEISTULFI Archiepiſcopi, idem HEISTULFUS Epiſcopus, & ADALBERTUS COMES. In Colonia, HADABOLDUS Archiepiſcopus, & ERMUNDUS COMES.* Add. LEHMANNI *chron. Spirenſ. libr. II. c. 18.* CAROLUS du FRESNE *in gloſſ. voc. Comes civitatis.*

(*p*) Hanc potiorem fuiſſe Comitum ſpartam, extra omnem dubitationis aleam poſitum, exiſtimo. Quare & *judicum nomine* ſæpe numero veniunt. Scilicet ordinaria Comiti erat in pace, per univerſum, cui præerat, pagum, juris dicendi poteſtas; non ſolum in plebejos ruſticosque homines; ſed & in *homines liberos & milites*, ſtylo recentiori

dinis gratia, ſubeſſe *(q)* juſſerunt. Sub quorum au-

tiori Nobiles inferioris Ordinis vocatos, terrarum etiam Rhenenſium, ut & Sueviæ Franconiæque. Quod Viri Celeb. KOPPIUS & PISTORIUS, pluribus expoſuere: alter in *tractatu jur. publ. de inſigni differentia inter S. R. I. Comites & Nobiles immed. ſect. 1 §. 2. - 6.* alter in denen Hiſtoriſch- und *Juridiſchen* Anmerckungen von des H. R. R. Grafen, *part. II. cap. III. pag. 215. ſqq.* Atque adeo nullatenus vero eſt concinna, quam KNIPSCHILDIUS, LERCHIUS, aliique juſto fervidiores nobilitatis Imperialis propugnatores tuentur, ſententia; nobiles olim a nemine, niſi ab ipſis Regibus, vel eorum Miſſis, fuiſſe judicatos. Neque enim judices, præter ordinem forte ad cauſſam nobilium aliquam cognoſcendam a Rege delegati, ordinariam Comitum in nobiles jurisdictionem ſuſtulere, quam Regis nomine atque auctoritate illi adminiſtrabant. Confer. SCHILTERI *de S. R. Imperii Comitum prærogativa ac jure, inter ipſos & ordinem equeſtrem Imperii immediatum, ſecundum quosdam, controverſo, diatribe.* Comites vero etiam *ærarii ac fiſci regii* curam geſſiſſe, tum ex loco GREGORII TURONENSIS *ſub lit. (o)* adducto, tum ex iis, quæ ALTESERRA *cit. cap. IV.* pluribus expoſuit, ſine negotio intelligitur.

(q) Univerſæ Dux præfuit provinciæ, atque adeo etiam Comitibus. Quod autem non pauci credidere, (quos inter etiam eſt LEHMANNUS *in chron. Spirenſ. L. II C. XVI.* nec non JUSTUS SINOLDUS SCHÜTZ *in colleg. de ſtatu rei Rom. exercit. IIX. p. 626)* duodecim ſemper uni Duci Comites ſubfuiſſe, id profecto ad ea referendum, quæ

faci-

ſpiciis & bellicis expeditionibus interfuere Comites, quippe minime a rerum militarium cura omnino excluſi *(r)*. Præterea quoque una cum Ducibus Regni

facilius dicuntur, quam probantur. Comitum potius provincialium numerum varium atque incertum fuiſſe, tot veterum monumenta teſtantur. Vide, quæ annotavit PFEFFINGERUS *ad Vitr. I. I. P. libr. I. tit. XVI. ſ. 10. lit. (c) p. 30. Vol. II. in edit. recent.* Ceterum licet Ducis auctoritatem, in communem provinciæ ſalutem ac ſecuritatem, revereri oportuerit Comites antiquiores; minime tamen exiſtimandum cuiquam eſt, Duces habuiſſe Comites omnino ſubjectos atque obnoxios. Tantum enim abeſt, ut hoc vero ſit concinnum; ut potius ipſi Duces vicaria duntaxat poteſtate, Pro-Regum inſtar, uſi ſint in provinciis; atque adeo Comites æque, ac Duces, dignitatem & poteſtatem, itemque beneficia ſua, non Ducibus, ſed ipſis potius Regibus, proxime tulerint accepta.

(r) Ingruente belli tempeſtate, & Comites cogebant milites, iisque ſub Ducum moderamine præerant. Locus eſt GREGORII TURONENSIS *libr. IV. C. XXX.* hic notatu dignus: *SIGIBERTUS Rex, Arelatenſem urbem capere cupiens, ARVERNOS commoveri præcepit: erat enim tunc FIRMINUS COMES URBIS ILLIUS, qui cum ipſis in capite abiit.* Præterea *libr. VI. cap. XIX: Cum hæc Regi CHILPERICO nuntiata fuiſſent, mittit nuntios, COMITIBUS, DUCIBUSQVE, & reliquis agentibus, ut, collecto exercitu, in regnum germani ſui inruerent.* Comites etiam officii rationes ſegnius exſequentes milites

gni egerunt PROCERES, quorum inſignis jam fuit in illius ævi comitiis auctoritas. *(s)*

E 2 §. XVIII.

tes coercuiſſe, idem GREGORIUS TURONENSIS *libr. VII. cap. XLII.* teſtatur: *poſt hæc edictum à JUDICIBUS datum eſt, ut, qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur. BITURIGUM quoque COMES miſit pueros ſuos, ut in domo beati MARTINI, quæ in hoc termino ſita eſt, hujusmodi homines ſpoliare deberent.*

(s) Comitiorum inter veteres Germanos uſum TACITUS *de morib. Germ. cap. XI* explicat: *De minoribus rebus Principes conſultant, de majoribus omnes; ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium eſt, apud Principes pertractentur. - - - Illud ex libertate vitium, quod non ſimul, nec juſſi, conveniunt, ſed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium abſumitur. Ut turbæ placuit, conſidunt armati. Silentium per ſacerdotes, quibus tum & coercendi jus eſt, imperatur. Mox REX, vel PRINCEPS, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, AUDIUNTUR, AUCTORITATE SUADENDI MAGIS, QUAM JUBENDI POTESTATE. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur: ſin placuit, frameas concutiunt. Honoratiſſimum aſſenſus genus eſt, armis laudare.* Quam quidem Germanorum libertatem ut ut, poſt ſtupendas CLODOVEI M. victorias ſequutasque provinciarum occupationes, non levem contraxiſſe cladem novimus; animam tamen non emiſiſſe, demonſtratu eſt facillimum. Abſoluti quippe imperii jugum nec provinciarum Germaniæ Proceres, qui libertatem omni auro potiorem habe-

habebant, ferre; nec prudentiores primi, nec ſegnes ac voluptuoſi, qui illos excipiebant, ſtirpis Merovingicæ Reges imponere poterant. Regem itaque meminiſſe oportebat, ſe libertatis vindicem, non oppreſſorem, eſſe conſtitutum. Majeſtatis jura & iſto ævo in comitiis exerceri conſueverant. Leges in iis conditas eſſe, prologus LEGIS BAJUVARIORUM docet: *hoc decretum eſt apud Regem & Principes ejus, & apud cunctum populum Chriſtianorum, qui infra Regnum Mervungorum conſiſtunt;* nec non *LEGUM ALEMANNICARUM: incipit lex Alamannorum, quæ temporibus CLOTHARII Regis, una cum Principibus ſuis, id ſunt 33. Epiſcopis, & 34. Ducibus, & 72. Comitibus, vel cetero populo, conſtituta eſt;* itemque *LEGIS SALICÆ: Placuit atque convenit inter Francos & eorum Proceres, ut, propter ſervandum inter ſe pacis ſtudium, omnia incrementa veterum rixarum reſecare deberent; & quia ceteris gentibus, juxta ſe poſitis, fortitudinis brachio præeminebant, ita etiam legum auctoritate præcellerent. &c.* Legis autem Salicæ auctorem primum fuiſſe CLODOVEUM M. defendit GUNDLINGIUS *in Gundlingianis P. III. O. II. §. 16. ſqq.* Quam ſententiam quoque VALESIUS *rerum Francicarum tom. I. p. 119.* defendit. Sed antiquiorem eam eſſe, atque a CLODOVÆO M. fide Chriſtiana imbuto, ſequutisque Regibus poſtea emendatam, vetuſtior ejusdem legis prologus teſtatur. Ac profecto nulla adeſt ratio ſufficiens, quare huic minor, quam recentiorum quorundam conjecturis, fides ſit habenda. Conf. Celeb. JO. JAC. MASCOVII *hiſtor. German.* (Geſchichte der Teutſchen,) *lib. VIII. §. 45.* It. HEINECCII *hiſt. jur. civil. Rom. ac German. lib. II. cap. I. §. 8.* Quid? quod & ultimam ſuam voluntatem, qua eccle-

eccleſiarum potiſſimum commoda promotum ibat, DAGOBERTUS M. Proceribus Regni in comitiis expoſuit, horumque auctoritate iſtam firmandam prudenter curavit. GESTA DAGOBERTI I. *cap. XL.* apud ANDR. du CHESNE *Tom. I. p. 584. ſq.* Majores quoque, ut vocant domus, de quibus mox pluribus agendum, Reges non, niſi ex Procerum Regni conſenſu, conſtituiſſe, FREDEGARIUS SCHOLASTICUS *in chron. cap. 54.* teſtis eſt: *CHLOTARIUS cum Proceribus & leudibus Burgundiæ TRECASSINIS conjungitur, cum eorum eſſet ſollicitus, ſi vellent jam, WARNACHARIO* (Majore domus) *diſceſſo, alium in ejus honoris gradum ſublimare. Sed omnes unanimiter denegantes, nequaquam ſe velle Majorum domus eligere, Regis gratiam obnixe petentes, cum Rege tranſegere.* Controverſiarum porro, de ſucceſſione Regia ortarum, deciſionem ad Regni ordines inprimis ſpectaſſe, ex iis liquet, quæ CLOTHARIUS BRUNECHILDI reſpondit: *Conventus nobilium debere eam aggregare Francorum & communi tractatu de communibus conſulere rebus: ſe vero judicio illorum in omnibus pariturum.* Vid. AIMOINUS *de geſtis Francor. libr. IV cap. I.* Quomodo inter GUNTRAMNUM & CHILDERICUM, Reges, Procerum conſilio atque auctoritate, anno O. R. 587. pax firmata, mutuique fœderis pactio conſcripta fuerit, exemplar pactionis demonſtrat apud BALUZIUM *in collect. capit. Reg. Franc. tom. I. p. 11. ſqq.* Adde GREGOR. TURON. *libr. IX. cap. XX.* Comitialibus quoque ordinum ſuffragiis CHILDERICUM III. Merovingicæ ſtirpis ultimum Francorum Regem, imperio fuiſſe exutum, idemque PIPINO delatum, maximo teſtimoniorum cumulo evicit PFEFFINGERUS *in Vitr. il-*

§. XVIII.

De Comite Palatii.

Varios equidem Comitum ordines, quem recentior ætas fœtum excluſit, hic omittendos arbitror. Silentio tamen Comitem Palatii Regni Francici omnino præterire, nefas duco. Hic IN PALATIO REGIO JURI DICUNDO PRÆERAT, ac majoris præcipue momenti cauſſas cognoſcebat decidebatque. Quem, inter Comites primum, inde ab initio primæ Francorum Regum ſtirpis, jam exſtitiſſe, multis veterum monumentis eſt comprobatum. *(t)* Nec minus certum eſt atque evictum, hoc Regni officium inſigne, & ſub Majorum domus imperio, huic tamen ſubjectum, perduraſſe. *(u)* Poſteaquam vero, perfecti

luſtr. L. I. T. II p. 75. edit. rec. Conf. HERTII *notit. Regni Franc. vet. cap. V.* Quæ cum ita ſint, nemo profecto abſolutum Merovingicis Francorum Regibus imperium cum ratione poterit vindicare, aut inſignem Procerum illius ævi libertatem atque auctoritatem negare.

(t) Quæ, una cum Palatii Comitum nominibus, exhibet CAROLUS du FRESNE *in gloſſario, ſub voc.* Comites palatini, *tom. I. p. m. 1085. ſq.*

(u) GREGOR. TURONENSIS *libr. IX. cap. 30.* de CHILDEBERTO: *juſſit abire FLORENTIANUM, MAJOREM DOMUS REGIÆ, & ROMULFUM, PALATII ſui COMITEM.* Notatu dignum hic quoque eſt, quod MABILLONIUS *de re diplomatica libr. VI. p. 479.* adduxit, Regis CHILDEBERTI diploma, anno 697. confectum: *CHILDEBERCTUS, Rex Francorum, Vir inluſter. Cum nos in Dei nomine, Compendio, in Palacio noſtro una cum Apo-*

fecti Imperii Regii faſces moderante PIPINO, Majoris domus

Apoſtbolecis viris, in Chriſto Patrebus noſtris, - - - Epiſcopis; nec non & inluſtri viro, PIPPINO, MAJORUM DOMUS NOSTRO; - - - ſed & HOCIOBERCTO, COMITE PALATII NOSTRO, vel cunctis fidelibus &c. Paria idem in medium produxit p. 480. 482. 489. 490. Quæ cum ita ſint, merito inde concludo, erroris modeſte arguendos eſſe viros, cetera inſigni eruditionis fama illuſtres, FREHERUM, SCHILTERUM, reliquos, quorum ille *in comm. ad A. B.* atque alter in *Inſt. jur. publ. L. I. T. XV. §. 4. in fin.* Majorem Domus & Comitem Palatii ſuperiorem unum fuiſſe eundemque, perperam exiſtimarunt. Quare & recte dicam his aliisque jam ſcripſit PFEFFINGERUS *in Vitr. illuſt. L. I. T. XI. §. I. not. (a) & (b).* Ubi & permulta de pluribus inferioris ordinis Comitibus Palatinis collecta offendimus, lectu digniſſima. Conferatur quoque SPENERUS in *append jur. publ. lib. IV.* adjecto. Ceterum Franciæ Regibus majorum virtutes parum curantibus, fædisque voluptatibus turpiter immerſis, ſumma rerum penes Ducum aliquem fuit, MAJORIS DOMUS elogio ornatum. Hunc initio ſinguli ſibi Reges conſtituebant; mox populus eundem eligendi poteſtatem ſibi ſumſit; poſt ipſi Majores Domus de ſua dignitate ac potentia ſtatuerunt, ipſis Regibus ſuperiores; Regum tamen elogio nondum ornati. Qua de re legi meretur HAHNIUS in *hiſtor. Imper. pag. 10. in not. ſub c).* Denique eorum ultimus, PIPINUS, CAROLI M. parens, ipſa Regis majeſtate à Regni Francici Proceribus rite eſt indutus. *ERCHAMBER-*

domus dignitas omnino exſpiravit; Comitis Palatii au-ctori-

BERTI fragmentum ex breviario Reg. Franc. & Majorum domus, p. 780. apud ANDR. du CHESNE: *CHLODOVEUS Rex, filius DAGOBERTI, regnavit XVI. annis, qui omni ſpurcitiæ deditus fuit. Major domus, qui ſupra. CHLODHARIUS Rex, filius CLODOVEI, adhuc in puerili ætate ſuæ juventutis mortuus eſt, regnavitque annis IV. Major domus EBROINUS. THEODORICUS Rex filius CHLODOVEI, frater CHLODHARII, regnavit annis XIX. Major domus BERTHARIUS Quo occiſo, PIPPINUS junior, filius ANSEGISILI, veniens de Auſtraſiis, ſucceſſit in Principatum Majorum domus. Ex hinc REGES NOMEN, NON HONOREM, HABERE COEPERUNT. Quibus tamen, ubi conſtitutum fuerat, victus fuerat exuberans, cuſtodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure poteſtatis agere poſſint. Illis namque temporibus ac deinceps GOTEFREDUS, Dux Alamannorum, ceterique circumquaque Duces noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eo quod non potuerunt Regibus Meroveis ſervire, ſicut antea ſoliti fuerant. Ideo ſe unusquisque ſecum tenuit, donec tandem aliquando poſt mortem GOTEFRIDI Ducis, CAROLUS ceterique Principes Francorum paulatim ad ſe revocare illos arte, qua poterant, ſtuduere.* FREDEGARIUS SCHOLAST. *in chron. cap. 92.* de populi electione teſtatur: FRANCI, inquiens, *CHLOTHARIVM MAJOREM in Regno CONSTITVVNT.* Conf. quæ ex eodem adduximus ſub not. (s) Idem *cap. 110. in fin.* de PIPINI ad honores Regios elevatione hæc habet; *Quo tempore una cum conſilio & conſenſu*

ctoritas contra non parum procul dubio cepit incrementi.

F §. XIX.

ſenſu omnium Francorum, miſſa relatione à Sede Apoſtolica auctoritate percepta, præcelſus PIPINUS ELECTIONE TOTIUS FRANCIÆ in ſedem Regni, cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubjectione Principum, una cum Regina BERTRADANE, ut antiquitus ordo depoſcit, ſublimatur in regno. Notatu quoque dignum eſt ANNALIUM FRANCORUM FULDENSIUM *ad annos 751. & 752.* teſtimonium: *PIPINUS, miſſa Romam legatione, ZACHARIAM Papam interrogat de Regibus Francorum, ex antiqua Meroingorum ſtirpe deſcendentium, qui Reges quidem dicebantur, ſed POTESTAS REGNI TOTA APUD MAJOREM DOMUS HABEBATUR; excepto, quod cartæ & privilegia Regis nomine ſcribebantur, & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plauſtro, bubus trahentibus, vectus, atque in loco eminenti ſedens, ſemel in anno à populis viſus, publica dona ſolenniter ſibi oblata accipiebat, ſtante coram Majore domus, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent, populis adnuntiante: ſicque Rege domum redeunte, cætera regni negotia Major domus adminiſtrabat. Orat ergo ſibi decerni, quis eorum juſte Rex debeat dici & eſſe; is, qui ſecurus domi ſedeat; an ille, qui curam totius Regni, & omnium negotiorum moleſtias ſufferat. ZACHARIAS Papa, ex auctoritate ſancti PETRI Apoſtoli, mandat populo Francorum, ut PIPINUS, qui poteſtate regia utebatur, regni totius & nominis quoque dignitate frueretur. Ita HULDERICUS Rex, qui ultimus Meroingorum Francis imperavit, depoſitus & in mona-*

§. XIX.

De officiis Regni eccleſiaſticis.

Quibus de officiis Regni Germanici ſecularibus, pro inſtituti ratione, expoſitis *(x)*; paucis quoque de officiis Regni eccleſiaſticis agendum. Quamvis enim prima chriſtianæ eccleſiæ initia ſingularem Epiſcoporum dignitatem politicamque regendi poteſtatem omnino ignoraverint, atque Epiſcoporum officium duntaxat fuerit privatum; rem tamen pedetentim mutatam eſſe, ac præcipue Imperatoris Conſtantini M. auxilio, quæ ante jam cœperat, Epiſcoporum auctoritati ac poteſtati inſignia magis magisque incrementa acceſſiſſe, rerum peritis non eſt obſcurum *(y)*. Quemadmodum itaque Galli non ſolum, ſed & inprimis Germani, quum ethnicæ religionis principiis adhuc imbuti eſſent, ſummo jam ſacerdotes cultu ſunt proſequuti:

---

monaſterium miſſus eſt. PIPINUS vero, in civitate Sueſſionum, á ſancto BONIFACIO, Archiepiſcopo, in regem unctus, régni honore ſublimatus eſt. Conf. Illuſtriſſimi S. R. I. Comitis de BüNAU *hiſt. Imper. tom. II. pag. 287. ſqq.* Add. HAHNIUS *cit. loc. pag. 11. ſqq.*

(x) Alia quippe officia, ad inſtitutum meum minus facientia, omitto. De quibus legi poteſt HERTIUS *in notit. Regni Franc. vet. cap. III. §. 11. ſq.* De iis autem, quæ ad Archiofficiorum Imperii noſtri ſecularium illuſtrationem ex hoc ævo depromi poſſunt, conferri poteſt PFEFFINGERUS in *Vitriario illuſtrato, lib. I. tit. XIII. ad princip. not. b. p. 1018 ſq.*

(y) Dixi & ego hac de re copioſius in *juriſpr. eccleſ. L. I. cap. VII. membr. III.*

quuti *(z)*: ita profecto mirum non eſt, Francorum Reges, ſacris Chriſtianorum deinde addictos, ſummorum ſacerdotum, (qui, pro ſtatu eccleſiæ catholicæ, qualis tum erat, humillimos primæ eccleſiæ chriſtianæ epiſcopos, ſive nolebant, ſive non poterant, imitari,) honoribus ac divitiis potius augendis, quam minuendis, admodum ſtuduiſſe *(a)*. Principalibus itaque

(z) Vide locum TACITI *ad §.18.not. (s)* adpoſitum. Idem cap. VII: *Nec REGIBUS infinita aut libera poteſtas; & DUCES exemplo potius, quam imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Ceterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi SACERDOTIBUS, permiſſum: non quaſi in pœnam, nec Ducis juſſu, SED VELUT DEO IMPERANTE.* De Gallis videatur JULIUS CÆSAR *de bello Gall. libr. VI. cap. 13.*

(a) Audiamus CLODOVEI M. ex filio, CHLOTARIO I. nepotem, HILPERICUM Regem, invidioſas apud GREGOR. TURONENS. *libr. VI. hiſt. Franc. cap. ult.* querelas ducentem: *Ecce pauper remanſit fiſcus noſter: ecce divitiæ noſtræ ad eccleſiam ſunt translatæ. Nulli penitus, niſi ſoli Epiſcopi, regnant: periit honor noſter, & translatus eſt ad Epiſcopos civitatum.* AIMOINUS quoque *hiſt. Franc. libr. III. cap. 57.* Regem ſæpe dixiſſe, refert: *ecce divitiæ noſtræ ad eccleſias tranſierunt; ſoli nunc Epiſcopi regnant, ſolis eis defertur honor.* Verum hic atris utrique hiſtorico depingitur coloribus, HERODESque audit ac NERO ſuæ ætatis. Melioribus alii Francorum Reges elogiis, ob bene merita in eccleſias atque Epiſcopos, mactantur.

que jam hoc ævo Epiſcopi Germaniæ honoribus fulgebant *(aa)*, opibus etiam ſplendori huic paribus inſtructi. Officio pariter Regni publico erant ornati, eccleſiasque, ſub Regum tamen auſpicio ſupremo *(b)*, regebant, ac de rebus ſacris ſtatuebant. Pontifici etenim Romano in Germaniæ eccleſias ſumma tunc tem-

(aa) Notatu dignum eſt legis Alemannorum principium, in quo Epiſcopi Ducibus præferuntur. Vid. *Corpus jur. Germ. antiqui, p. 195.* nec non ſupra adpoſita illius principii verba, in *nota ad §. 17. ſub (s).*

(b) Nec aliter eſſe res poterat, quum a Regibus, ex ordine tamen præcedente electione, Epiſcopi conſtituerentur. Teſtis eſt GREGORIUS TURONENSIS, ipſe Epiſcopus, innumeris fere *hiſtor. Franc.* capitibus, eam fuiſſe Regum curam, ut Epiſcopatibus dignos præficerent ſacerdotes, atque Epiſcoporum regiones ordinarent. Confer. LEHMANNI *chron. Spirenſe*, *L. II. cap. XV.* it. *L. III. cap XIII XXI.* CONRINGIUS *de conſtitut. Epiſcoporum German. §. 22 ſqq.* MEIBOMIUS *de jure inveſt. Epiſcop.* PETRUS de MARCA *de conc. ſacerd. & imp. L. VIII. c. IX XI.* HERTIUS *in not. Regni Franc. vet. cap. V. §. 15. 16.* PFEFFINGERUS *in Vitr. illuſtr. L. I. T XV. ad §. 20*, ubi larga teſtimoniorum exemplorumque abundantia. Apud BALUZIUM *in capitular. Reg. Franc. tom. I.* nonnullæ conſtitutiones Regum primorum occurrunt, huc inprimis pertinentes: Veluti Præceptio Regis GUNTRAMNI *ad Epiſcopos & judices Regni de obſervando die dominico & aliis, p. 9.* Nec non SIGEBERTI Regis *epiſtola ad Epiſc. de concil. celebr. &c. p. 143.*

temporis nondum in ſacris poteſtas erat; quippe cui demum BONIFACIUS, Germanorum, ut adulatoribus audit, Apoſtolus, Germaniæ Epiſcopos addictos reddere ſtuduit *(c)*. Præterea & Epiſcopi, cum

 Pro-

(c) Ecce ZACHARIÆ, Pontificis Romani, epiſtolam, qua novam Germaniæ Epiſcopis converſionem, ope BONIFACII perfectam, anno 748. gratulatus eſt: *Gaudeo in vobis, Chariſſimi, quoniam fides veſtra & veritas erga nos gratioſa eſt, & manifeſta non ſolum coram Deo; ſed etiam coram hominibus; dum ad FAUTOREM ET MAGISTRUM VESTRUM, A DEO CONSTITUTUM, B. PETRUM, APOSTOLORUM PRINCIPEM, BENIGNISSIMA VOLUNTATE, converſi eſtis, & in hoc laudabilis eſt fides veſtra, quoniam id ipſum ſapitis, quod ſapere oportet.* Proſtat hæc etiam in SCHILTERI *libr. II de libertate eccleſiarum Germaniæ cap. VI §. I.* Unde quam luculentiſſime patet, ante iſta tempora Romanum Pontificem in Germania non majoris pretii fuiſſe, quam alium Epiſcopum peregrinum, ſingulari ſedis ſuæ fama celebrem; quum nova laudetur ad B. PETRI, (cujus nomine turpiſſime abutitur ZACHARIAS, PETRI Principatum, qui divinis virtutibus abſolvebatur, miſere adfectans,) ſive potius ad Pontificis Romani, jugum converſio, novæ ſapientiæ, (aut ſtultæ magis ſimplicitatis,) documentum. Cujus autem furfuris homo fuerit ZACHARIAS, ſancta PETRI Apoſtoli larva tectus, vel inde intelligitur, quod CHILDERICUM III. Franciæ Regem, majeſtate ſpoliandum, eandemque, ſui commodi gratia, ut adverſus Longobardos Protecto-

rem

Proceribus reliquis, Regni ſenatum conſtituebant, atque

rem nanciſceretur, PIPINO deferendam aſtute curavit, BONIFACII Moguntini auxilio & hac in re uſus calliditiſſime. Hic enim ſedis Romanæ mancipium erat addictiſſimum, ex vana jurisjurandi religione, quo ſe GREGORIO II. Papæ jam reddiderat obnoxium. Formulam jurisjurandi BARONIUS *in annalibus ad annum 723. n. IV.* hanc refert: *In nomine Domini Dei Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, imperante domino LEONE magno Imperatore, anno ſeptimo poſt conſulatum ejus; ſed & CONSTANTINI M Imperatoris ejus filii, anno quarto incboato ſcilicet, indictione ſexta, promitto ego BONIFACIUS, Dei gratia Epiſcopus, tibi, beate PETRE, Apoſtolorum Princeps, vicarioque tuo, beato GREGORIO Papæ, & ſucceſſoribus ejus, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei catholicæ exhibere, & in unitate ejusdem fidei, Deo operante, perſiſtere, in qua omnis Chriſtianorum ſalus eſſe ſine dubio comprobatur: nullo modo me contra unitatem communis & univerſalis eccleſiæ, ſuadente quopiam, conſentire; ſed (ut dixi,) fidem & puritatem meam atque concurſum tibi, & utilitatibus eccleſiæ tuæ, cui a Domino Deo poteſtas ligandi ſolvendique data eſt, & prædicto vicario tuo, atque ſucceſſoribus ejus, per omnia exhibere. Sed &, ſi cognovero, Antiſtites contra inſtituta antiqua ſanctorum patrum converſari, cum eis nullam habere communionem, aut conjunctionem: ſed magis, ſi valuero probibere, probibebo; ſin minus, fideliter ſtatim Domino*

que in ſolennibus comitiis, non minus, quam Duces & Comites, reipublicæ ſalutem curabant *(d)*. Denique ſoli pene Epiſcopi ea litterarum notitia imbuti videbantur, ut præ cæteris omnibus hoc ævo digni exiſtimarentur, quibus illuſtre CANCELLARIORUM officium delegaretur *(e)*.

§. XX.

---

mino meo Apoſtolico renuntiabo. Quod ſi (quod abſit) contra hujus promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere, quolibet modo, ſeu ingenio, vel occaſione, tentavero, reus inveniar in æterno judicio, ultionem ANANIÆ & SAPHYRÆ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præſumſerunt. Hunc etiam indiculum ſacramenti ego BONIFACIUS exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque ponens ſupra ſacratiſſimum corpus ſancti PETRI, ita, ut præſcriptum eſt, Deo teſte & judice, feci ſacramentum, quod & ſervare promitto. Converſionis, cui ſtuduit BONIFACIUS, præmium tulit Archiepiſcopatum Moguntinum, atque inſignia ipſius in ſedem Romanam merita effecere, ut primæ in Francia Orientali Metropolis eccleſiaſticæ honores ſedi Moguntinæ fuerint tributi. Quod docent GUNDLINGIANA *P. XVII. O. II. ſ. 23.* CENTURIATORES MAGDEBURGENSES *Centur. VIII. C. X. p. m. 790. ſqq.* ejus vitam ac geſta, virtuteſque non minus, quam vitia, ingenue exponunt. Adde SAGITTARII *antiquitates Chriſtianiſmi Thuringici, libr. II. & III.* Nimius eſt in viri laudibus CAVEUS *in ſcriptorum eccleſ. hiſtoria litteraria, ad annum 723. p. m. 409. ſq.*

(d) Videatur *not. (s) ſub ſ. 17*

(e) De primorum Franciæ Regum Cancellariis egit MA-

BIL-

BILLONIUS *de re diplom. libr. II. Cap XII. ſ. 1. 2. 3.* Ubi & erudite docet, ſummos Regum Merovingicæ ſtirpis Cancellarios vocatos etiam fuiſſe *Referendarios*, nec non uno plures fuiſſe unius Regis, eosque codicillos Regios, majoris fidei conciliandæ gratia, recognoviſſe, ac tum Regi ſubſcribendos obtuliſſe. BERNARDUS a MALLINCKROT *de Archi Cancellariis & Cancellariis p. 6.* hæc habet: *Archi-Cancellarii nomen & officium itidem a Francis ad nos derivatum eſt: omnium enim primus, qui hoc nomen titulumque uſurparit, S. CUNIBERTUS fuit, Colonienſis Epiſcopus, quatenus hucusque reperire quivi, poſt quem, S. BONIFACIUM reperio, qui apud* MIRÆUM *in notitia Eccl. Belgii C. 20. Regis PIPINI literas, quibus Epternacenſe S WILLIBRORDI cœnobium dotat, ita ſubſcribit: BONIFACIUS ARCHI-CANCELLARIUS RECOGNOVIT. Datæ enim illæ literæ ſunt anno Chriſti 752. tertio Regis PIPINI: in cujus ad Franciæ regnum ſublimatione cum notabilis valde hujus ſancti viri opera fuerit, ejusque manibus ille in Regem inunctus & conſecratus ſit; ſuſpicari poſſumus, inter cætera antidora & gratitudinis documenta, nova iſta dignitate, novæque dignitatis minus trito & anguſtiori titulo donatum fuiſſe. Dubitandum enim non eſt, non alium eſſe hunc BONIFACIUM, quam celeberrimum illum Moguntinum Præſulem: cujus etiam opinionis eſt FRANCISCUS LANOVIUS, ord. Minimorum Religioſus, in ſuo de Franciæ Cancellariis Schediaſmate. Nec facile quis perſuadebit, in alium aliquem ejusdem nominis, illorum temporum ſynchronum, iſta convenire.* Verum paullo ante adductus MABILLONIUS, qui *cit. loc.* primorum Cancellariorum nomina expoſuit, nullam S. BONIFACII, Archi-Cancel-

§. XX.

Inferiore Regni miniſterio *(f)* qui, tum in caſtris, tum in aula, functi ſunt, MINISTERIALES audiunt. Minime vero plebejæ ac ſervilis conditionis homines hoc vocabulo hic ſignamus; quippe qui feudis carebant; ſed potius ingenuos, atque, ex ævi recentioris formula, nobiles, ordinis licet inferioris *(g)*. *De miniſterialibus.*

G §. XXI.

larii mentionem facit; ſed potius, HITHERICUM PIPINI ARCHI-CANCELLARIUM fuiſſe, contendit. Cujus etiam ſubſcriptionem, ſub PIPINI Regis diplomate quodam, *libr. VI. num. 47. p. 496. edit. ſecundæ*, offendimus, hoc modo conceptam: HITERIUS *recognovit & ſubſcr.*

(f) Nexum pete ex §. XV.

(g) Proſtat in SCHILTERI *comment. ad J. F. Alemann. cap. 89. p. 360. ſeq.* narratio, ex *chron. MS.* de donatione DAGOBERTI Regis & conjugis, qua Argentinenſe eccleſiam affecerunt, hic notatu digna. In illa enim hæc occurrunt: *His itaque curtibus ſubjecta familia trifarie ſecernitur: prima MINISTERIALIS, quæ etiam MILITARIS reda dicitur, adeo NOBILIS & bellicoſa, ut nimirum liberæ conditioni comparetur. - - - Sed tamen omnes ſub dominio Epiſcopi & ab ipſo Rectoris conſtituti conſiſtunt.* Conf. CAROLUS du FRESNE *in gloſſar.* voc. *Miniſteriales*, ubi diſcrimen, quod inter Miniſteriales nobiles ac ſervos proprie dictos, ſeu vilioris conditionis mancipia, intercedit, quam rectiſſime etiam illuſtratur. Qui aulæ miniſteria obibant, MINISTERIALES PALATINI dicti. Vid. SCHILTERI *cit. comm. ad cap. 113. p. 399.* Add. Celeb. Dn. ESTÔR *de Miniſterialibus.*

§. XXI.

A Regibus Feuda data, & proxime accepta.

Beneficia, tum officialibus, tum miniſterialibus, Reges dedere; feudorumque oblatorum nulla hoc ævo veſtigia *(h)*. Præterea obſervandum, vaſallos beneficia ſua omnes proxime à Regibus accepiſſe, atque adeo cuncta hujus ætatis BENEFICIA fuiſſe IMMEDIATA, ut vocare ſolemus, ac RETROFEUDA à primo Francorum Regno procul dubio penitus exſulaſſe *(i)*.

§. XXI.

(h) THOMASII, nec non HERTII *diſſertationes de feudis oblatis* hic commendandæ.

(i) Hoc jam pluribus THOMASIUS *in diſſ. de orig. feud. ad §. 15. not. (c)* oſtendit, ac SPELMANNO, nec non HACHENBERGIO, *antiquiſſimis jam temporibus integras Magnatibus, intercedente nexu beneficiorio, regiones, ut minores rurſus militibus portiones, SUBFEUDI titulo largirentur, à Regibus traditas eſſe*, defendentibus, eruditiſſime reſpondit, ut mihi hic eſſe liceat breviori. Conf. SPENERI *primit. hiſt feud obſ III. §. 14. ſq. not. (n) & (p).* Qui tamen, poſt adductas utriusque partis ſententias, anceps ſubſiſtit. Ac profecto, quæ pro retrofeudis adduxit, teſtimonia, ſenſum hunc, ni inferatur, legenti minime exponunt. Supereſt vero dubium, quod ex LEGE ALEMANNORUM *cap. XXXVI n. 5.* moveri poteſt; quid? quod motum jam eſt ab ALTESERRA *libr. de orig. & ſtat feud. cap. VI.* Verba legis in BALUZII *collect. capitular. Reg. Franc. tom. I. p. 67.* (in GOLDASTI autem *tom. II. rerum Alemann. p. 15.* in cap. XXXV. leguntur,) hæc ſunt: *Qualiscunque perſona ſit, aut VASSUS DUCIS, aut COMITIS, aut qualiscunque perſona, nemo negligat ad*

ipſum

§. XXII.

Utrum feuda & clericis ætate hac ante Carolina data fuerint, ea anceps profecto eſt quæſtio. Interea negari plerumque ea de cauſſa ſolet, quod hujus ævi clerici nec militaverint, nec juribus regalibus uſi ſint. Verum enim vero, nec Epiſcopos tunc a bellicis expeditionibus prorſus alienos fuiſſe *(k)*, nec jurium regalium uſu plane caruiſſe *(l)*, ex fide dignis conſtat monu- *Utrum etiam clericis data?*

ipſum placitum venire. Verum enim vero, VASSUM *Ducis* aut *Comitis* hic ipſum Regis Vaſallum, Ducum Comitumve poteſtati vicariæ obnoxium, dici exiſtimo, ſalvo ſecus forte ſentientium judicio.

(k) GREGORIUS TURONENSIS, poſteaquam *libr. IV. hiſt. Franc. cap. 36* belli cum Longobardis, qui in Gallias irruerant, a GUNTCHRAMNO Rege feliciter geſti, hiſtoriam narravit, *cap. 37.* hæc addit: *fuerunt in hoc prælio SALONIUS & SAGITTARIUS, fratres atque EPISCOPI, qui non cruce cæleſti muniti, ſed GALEA AUT LORICA SECULARI ARMATI, MULTOS MANIBUS PROPRIIS, quod pejus eſt, INTERFECISSE, referuntur.* Conf. ejusdem *lib. V. cap. XXI.* De HILDEGARIO, Epiſcopo Colonienſi, ANNALES FRANC. FULDENSES *ad annum 753.* hæc referunt: *PIPINUS, iterum Saxonum perfidia provocatus, regiones eorum devaſtat: IN QVA EXPEDITIONE HILDEGARIUS, COLONIENSIS EPISCOPUS, A SAXONIBUS INTERIMITUR.*

(l) PFEFFINGERUS, poſteaquam *in Vitr. illuſtr. lib. I. tit. XV. ad §. 5. not. (a) n. (II.)* non pauca, quæ huc faciunt, teſtimo-

monumentis. Nullatenus vero huc pertinent, quæ de Herbipolenſis Epiſcopi Ducatu, a PIPINO indulgentiſſime conſtituto, memoriæ prodita novimus *(m)*. Hic

ſtimonia adduxit, tandem *p. 1123 edit. rec col. b. hinc*, inquit, *non ſine fundamento de MEROVÆIS Regibus ſcribit* STEPHANUS, LEODIENSIS ABBAS, *in vita S. MODOALDI, Trevirorum Antiſtitis, cap. XIV. apud* SURIUM, *p. m. 168. & 169.* „quantum religionis, potentiæ & honoris contulerint eccleſiis, teſtantur libri, Sanctorum decreta Patrum continentes, quos ipſi, in ſynodis, ſua corroberaverunt authoritate: teſtantur & eccleſiæ, quas cum diverſi generis ornamentis, tum etiam *prædiis & REGALIBUS SUIS, caſtris ſcilicet & COMITATIBUS, teloniis, monetis & bannis, cum jure civitatum, conceſſis*, magnifice extulerunt, ne ſancta DEI eccleſia hujus ſeculi potentibus ſubjaceret, aut tyrannide eorum paveſceret: imo ſuperborum colla, Dei virtute ſuperior, calcaret. Add. Illuſtr. Dn. BÖHMERUS in *jur. eccleſ. Proteſt. lib. III. tit. XX §. 70. ſqq* ubi nexum eccleſiarum beneficiarium a corrupto eccleſiæ ſtatu, ſpeciatim a clericorum militia, ante prohibita, rectiſſime deduxit.

(m) De Epiſcopi Herbipolenſis Ducatu JO. TRITHEMIUS *libr. de origine Francorum*, & quidem in SCHARDII *Scriptor. rer. Germ. p. 155. n. 21 & 22.* ſumma hæc fiducia narrat: *Anno Domini DCCLII cum jam Rex eſſet PIPINUS, Ducatum ſancto BURCKHARDO, EPISCOPO WURTZBURGENSIUM I. & ejus ſucceſſoribus, de conſenſu CAROLI filii ſui, & omnium Procerum totius Regni*

Hic enim recentioris, dubio procul, eſt ætatis, tituli ſingularis rationem præ ſe ferens.

gni Francorum, donavit in proprium ſempiternum. BURCKHARDUS igitur DUX & Epiſcopus Francorum Orientalium inſtitutus à PIPINO, præfuit annis XL. Moribus integer, converſatione ſanctiſſimus, ex monacho ſancti BENEDICTI Epiſcopus ordinatus à BONIFACIO, Moguntino Archi Epiſcopo. BURCKHARDUS RESIGNAVIT EPISCOPATUM, CUM DUCATU FRANCORUM, eccleſiæ & ſucceſſori ſuo, anno Principatus ſui XL. Domini autem DCCXCI. & eodem anno idem ſanctus BURCKHARDUS moritur. Quod equidem licet dubiæ admodum fidei ſit teſtimonium; V. C. PFEFFINGERUS tamen *in Vitr. illuſtr. L. I. T. XVI. p 365. col. a. vol. II. edit. recent.* non plane rejicit, ſed eidem hæc addit: *Probe autem notandum, per DUCATUM FRANCONICUM, Herbipolenſi Eccleſiæ dono datum à PIPINO, nihil aliud intelligendum eſſe, quam DUCATUM, PER EPISCOPATUM HERBIPOLENSEM EXTENSUM, non totius Franconiæ.* Vid. JACOBUS SPIGELIUS, *not in* GÜNTHERI *Ligurinum, Lib. I. p. m. 278;* KNICHEN, *de ſublimi & Regio Territorii jure, cap. IV. §. 255. &c.* SPEIDELIUS, *in ſpeculo, voc. Würtzburg, p. m 989;* LIMNÆUS, *tom. I. addit. ad Jus Publicum, lib. 3. cap 3 §. 10 pag 325.* TOLNERUS, *Hiſtor. Palat. Cap. VII pag. 174 &c. Qua de re præced. tit. XV. §. 13. lit. d. pag 1179 ſq. fuſius egi.* Recentiorem vero hunc Herbipolenſem eſſe Ducatum, qui Epiſcopo, in bonis & terris ſui Epiſcopatus jura ſecularia, Duci provinciæ alias propria, exercendi poteſtatem tri-

§. XXIII.

Quæ res feudi nomine data?

Quantum ad res, hoc ævo beneficiorum nomine datas, attinet; PRÆDIORUM, VILLARUM, CASTRORUM, JURIUMQVE, fidelibus commendatorum, non una in monumentis æqualibus mentio. Habu-

tribuerit, non pauci exiſtimarunt. Videatur inprimis Dn. à LUDEWIG *in Præfat. ad collect. Hiſt. Herbipol. Epiſcop. §. 18.* Addatur, quæ laudatam præfationem proxime excipit, *ad hiſtoriam Franciæ orientalis præparatio*, *cap. XXV.* prope â fine, *p. 352. col. a.* ubi hæc leguntur: BURCHARDUS, Biſchoff zu Würtzburg ſoll auch das Hertzogthum Francken von dem Könige in Franckreich PIPINO A. C. 752. wegen wohl abgelegter Geſandſchafft zu Rom, empfangen haben; in welchen ſich beſagte Autores ſehr vergehen; angeſehen es auch von einigen päbſtlichen Autoren ſelbſt in Zweiffel gezogen wird; wie dann BRUSCHIUS *de monaſteriis Germaniæ, p. 162.* verſichert, der Biſchoff von Würtzburg, EHRLANGUS, ein Graf von Calow, ſo A. 1122. geſtorben, habe zuerſt ſeine weltliche Jurisdiction anzuzeigen, ein Schwerdt in dem Wapen geführet, und ſich eines vortragen laſſen. Der 56ſte Biſchoff aber, Gottfried von Limburg, ſo A. 1455. geſtorben, habe ſich zum erſten einen Hertzog in Francken geſchrieben. LAURENTIUS Frieſe, ein alter Fränckiſcher Scribent, bey dem SEB. MÜNSTERO, ſaget zwar, CAROLUS M. habe dem Biſthum Würtzburg das Hertzogthum Francken gegeben, aber nicht gantz Francken-Land. &c. Conf. WILDVOGELII *diſſert. de Ducatu Franconiæ, cap. II. §. 3. ſqq.* Add. *examen diſſertationum* NEUMANNI de PUCHOLTZ, *de jurisdict. feud. & ſuperiorit. territ. C. VII. §. 4.*

Habuere etenim Reges, in provinciis, quæ fiſci erant, quæque ſua poterant vocare *(n)*, tum ut regia ſe majeſtate dignos exhiberent, tum ut fidelibus, in reipublicæ ſalutem, inde paria lautioribus ſtipendiis commoda conciliarent.

§. XXIV.

An ipſi etiam Ducatus & Comitatus?

Vero quoque eſt ſimillimum, & Ducatus Comitatusque, nempe DIGNITATEM, quam vocant, REGALEM, cum POTESTATE REGENDI PROVINCIAS PAGOSQVE, AC JUS IN ILLIS DICENDI, præter fundorum uſumfructum, lege beneficiaria hujus ætatis Duces Comitesque poſſediſſe *(o)*; minime vero ipſas Regni provincias ac pagos,

---

(n) SCHILTERUS in *Inſtit. iur. publ. L. II. tit. I. ʃ. XI. p. 271.* hæc habet: *Jure Francorum & Germanorum FISCUS omnes Principis facultates continet, nulla habita differentia rerum privatarum & publicarum, cum ſit utraque in Principis arbitrio:* H. SPELMANN. *Gloſſ. voc. Fiſcus, vocatur etiam CAMERA, & Advocati Cameræ, qui Fiſcum adminiſtrant.* GOLDAST. *ad EKKARD jun. c. 1. Appellantur quoque DEMANIA, ſive DOMANIA, itemque DOMINICUM, ut Romanis res dominicæ, Francico vocabulo DEMAINS, de manu h. e. poteſtate & arbitrio ac diſpoſitione Principis, excluſis ordinibus.* Conf. *not. (a) ſub ʃ. 19.*

(o) Vide, quæſo, quæ ſupra *ad ʃ. 14. not. (f)* adduxi, AIMOINI & RORICONIS tuſtimonia, & ſane ex priori inprimis loco patebit, CLODOVEUM M. *AURELIANO TOTIUS REGIONIS DUCATUM, jure beneficii conceſſiſſe.* Conſentit prope mecum V. C. SPENERUS, *in primitiis*

gos; quippe quæ potius Regibus Regnoque conſervata.

§. XXV.

An & res eccleſiaſtica? Præterea, quum ſupremo primi Francorum Reges eccleſiarum in ſuis ditionibus conſtitutarum moderamine gauderent, opesque illarum & ipſi auxiſſent; religioni ſibi haud duxerunt, de abundantioribus eccleſiarum fundis ac reditibus, fiſco Regio bellicis impenſis exhauſto, portiones decerpere, & militaris ſtipendii gratia Comitibus & militibus in beneficium largiri *(p)*. Quid? quod nec decimis, licet ſingulari, quam vulgo vocant laudantque, ſpiritualitatis virtute præcellentibus, pepercere *(q)*.

§. XXVI.

tiis hiſt. feud. Obſ. II. p. 90. not. (b) his verbis uſus: *Duci & comitibus non terra utenda fruenda, ſed regenda, gubernanda, atque judicanda tradita; ceſſitque feudi nomine ſola dignitas, & in ſolarium pars prædiorum adſignata.* Sed nullas ſententiæ ſuæ reddidit rationes. Quid? quod, ætate Carolingica rem ita ſe habuiſſe, non paucis probari poteſt monumentis fide dignioribus. Nec illius ætatis ſcriptores novum hoc vocant inſtitutum; quod igitur veriſimilitudinem auget, & ante CAROLI M. tempora idem jam obtinuiſſe. Conferatur SCHILTERUS in *Comment. ad J. F. A. cap. XLII. p. m. 255. 256. 258.* Item laudatus ante BURIUS *cit. loc. pag. 22. ſqq.*

(p) A CAROLO MARTELLO hujus inſtituti origines repeti, oſtendit ALTESERRA *de Ducibus & Comit. libr. I. cap. XIII.* Illuſtr. Dn. BOEHMERUS *in jur. eccleſ. Prot. libr. III tit. XX. de feudis, §. 6.*

(q) Jamjam excitatus ALTESERRA *libr. de orig. & ſtat. feud. cap.*

§. XXVI.

De inveſtitura & hominio.

Quantum ad modum beneficia acquirendi attinet, vix cuiquam, opinor, dubium eſſe poteſt, quin inveſtitura, ſeu TRADITIONE, opus fuerit vaſallis, ad jus intuitu feudi ſibi firmandum, atque ut poſſeſſionem nanciſcerentur; nec non ſingulari JURE JURANDO, QVO FIDEM BENEFICIARIAM DOMINO ADSTRINXERINT. Verum de inveſtituræ ritu, qui hoc ævo uſurpatus, deque hominii, quod dicitur, formula vix certi quid licet definire *(r)*.

H §. XXVII.

cap. V. & decimas a CAROLO MARTELLO militibus in beneficium delatas eſſe, quod alii pariter adfirmant, ſumma fiducia negat, nullam hujus rei fidem eſſe arbitratus. Præterea, cladem eccleſiarum prædiariam admodum doluiſſe PIPINUM, idem refert; ſed, quum morbo penitus mederi & res eccleſiarum, ob temporum iniquitatem & reipublicæ anguſtias, e laicorum manibus avellere nequiverit; id ſaltem effeciſſe, ut prædia eccleſiarum PRECARIÆ nomine laici tenere, atque illis nonas & decimas perſolvere cœperint. Sententiæ autem ipſius de decimis Illuſtr. Dn. BOEHMERUS *cit. J. E. lib. III. tit. XXX. de decimis, §. 19.* non ſine ratione contradixit; quod vero non eſt ſimile, Regem, qui alias eccleſiarum facultates militibus donavit, decimis peperciſſe.

(r) Conf. THOMASII laudatam *diſſ. de orig. feud. ad §. 18. not. (c) & (d).* Interea notatu hic etiam dignus eſt ex ANNALIBUS FRANCORUM NAZARIANIS *ad ann. 787.* locus, qui in GUNDLINGII *diatriba de feudis vexilli, in fin. §. 15. p. 16.* proſtat: *TASSILO Ducatum, quem a PIPPINO Patre quondam acceperat, VICTORI filio CAROLO reddidit CUM BACULO, REGIMINIS EI PRIUS ADTRIBUTI SYMBOLO, in cujus capite ſimilitudo hominis erat*

§. XXVII.

De jure Vaſallorum in feudis.

Minime vero ex ſolenni iſta beneficiorum traditione jus perpetuum, quod in ſucceſſores transmitti continuo potuerit, illorum poſſeſſoribus eſt enatum. Tantum enim abeſt, ut ita ſe res habuerit, ut potius certo conſtet, ne quidem poſſeſſori jus firmum ac ſtabile, per dies vitæ, inprimis in Ducatibus & Comitatibus, fuiſſe. Hinc

---

erat, *& effectus eſt VASSUS ejus.* Ex quo non ſine veri ſimilitudinis ſpecie concludi poteſt, & PIPINI ætate, forte etiam ante, *inveſtituræ ſymbolum* fuiſſe *baſtam*, *vultu humano ornatam.* Præterea nec hoc omittendum, jurijurando & nexarum comploſarumque manuum porrectionem interceſſiſſe; quod notavit ALTESERRA *de feud. orig. cap. 8. ab init.* ubi & hunc AYMOINI locum adpoſuit: *Illuc*, (id eſt Compendium) *& TASSILO, Dux Bajoariorum, cum primoribus gentis ſuæ, venit, & MORE FRANCICO in manus Regis in vaſſaticum manibus ſuis ſemet ipſum commendavit, &c.* Alia ſolennia BRUNNERUS in *annal. Boicis ad ann. 757. part. I. p. 694. & ſeq. edit. quæ Monachii in forma octava prodiit anno 1626.* in recentiori vero *Francofurtana pag. 173.* narrat: *PIPINO Francorum comitia Compendii celebrante, THASSILO, cum nobilitatis Boicæ flore eodem profectus, ſacramentum Regi dixit, conceptisque verbis & ſolenni formula fidem ei ſuam, filiisque obſtrinxit. Juramentum interpoſitum eſt, plenum religione; tactæ aræ, & ipſis SS. DIONYSII, RUSTICI, ELEUTHERII, MARTINI & Germani ſacris pignoribus manus admotæ; qui, ut Franciæ tutelares Divi, teſtes invocati, iidemque, ſi ſciens volensque olim falleret, vindices & ultores futuri. In eadem verba etiam nobilitas adacta, ex animi ſui ſententia Jusjurandum concepit.*

Hinc in iſtius ævi ſcriptore *(s)* frequentia nomina: EX DUCE, EX COMITE. Utrum autem jus beneficii ad certi temporis *(t)*, atque in primis quinquennii, intervallum adſtrictum fuerit; id certe ego haud affirmaverim. Vero potius maxime concinnum duco, jus in beneficiis fuiſſe PENE PRECARIUM, pro ratione officiorum ac miniſteriorum, ex regula prudentiæ, indefinite indultum; ne mutationi, quam forte Regni aut Regis utilitas poſceret, via præcluderetur, aut ſaltem impeditior difficiliorque redderetur *(u)*. Quodſi forte alicubi beneficiorum in filios iſta ætate devolutorum exempla occurrant; ea potius ſingulari Regum gratiæ, quam legibus firmato ſuccedendi ordini, tribuenda videntur *(x)*. Id vero extra dubitationis aleam poſitum, vicariam Ducum Comitumque poteſtatem creviſſe, Regum Majeſtate, ut ſupra cognovimus, collapſa.

§. XXVIII.

Quæ quum ita ſint, ſine negotio conſequitur, jus beneficii tunc temporis non tantum ob turpem FIDEI VIOLATIONEM *(y)*; ſed & nonnunquam pro REGUM *De ejusdem amiſſione.*

H 2

(s) In GREGOR. TURON. digitum intendo; cujus loca annotavit ALTESERRA *de Ducibus & Comitibus, libr. I. C. V.*

(t) Quod cum ALTESERRA adeo defendit ITTERUS *de F. J. C. I ſ. XV.* ut, rem certam eſſe & hiſtoriarum fide niti, adfirmet, minime demonſtret.

(u) Addatur THOMASII *diſſ. de orig. feud. ſ. 16. 17. cum adnotat.* ubi varias aliorum ſententias ſub incudem revocavit, mihique igitur otium fecit.

(x) Videatur locus FREDEGARII SCHOLASTICI, de RADULFO Duce, quem *ad ſ. XVI. not. (b)* adſcripſi.

(y) Recte itaque ALTESERRA *de orig. & ſtatu feud. p. 5. edit.*

GUM ARBITRIO *(z)*, neglecta curatiori cauſſæ cognitione, beneficiariis ablatum eſſe; vel ſaltem ab eorum OBITU ex ordine exſpiraſſe.

§. XXIX.

De jure feudali. Denique nullum eſt dubium, quin, ortis inter Francos feudis, mox & aliqua cauſarum feudalium norma exiſtere cœperit, conventionibus & uſu introducta, nec non actibus ſœpe iteratis magis magisque firmata. Merovingicæ autem ſtirpis Regum de beneficiis conſtitutiones omnino ignoramus *(zz)*.

edit. Schilt. feudum amitti, ait, ob culpam vaſalli, *ex Conſuetudine Francorum.* Conf. quæ de Bojoariæ Ducibus *§. XVI. in nota ſub (k) circa finem*, adpoſui. Nec prætermittenda hic ſunt, quæ BRUNNERUS *in annal. Boicis P. I. L. V. in fin. C. XI.* de THASSILONE, Bojoariæ Duce, qui à PIPINI Regis fide & clientela ſe ſubduxerat, Regisque exercitum cum ſuis perfidus deſeruerat, *ad annum 764.* his verbis refert: *Digna res viſa eſt, de qua Franci in Comitiis publicis ſententiam ferrent, quæ ſequenti mox anno Wormatiæ habita ſunt. Una omnium vox fuit, Bojum transfugam bello petendum, prodendumque etiam poſteris exemplum, datam Francis fidem à nemine impune violatum; quos qui amicos ferre non potuerit, multo ægrius hoſtes paſſurum. Verum, ingruente Aquitanico bello, unde plus periculi imminebat, Boicum in præſens, quamquam ſtimularet ira, omittendum neceſſario fuit: neque PIPINO, donec vixit, tantum otii fuit, ut THASSILONEM, hoſtem judicatum, armis perſequi poſſet. Sexageſimo octavo anno moriens, perfidiæ illius ultionem Superis, filiisque CAROLO, & CAROLOMANNO reliquit.*

(z) Exempla narrat non pauca GREG. TURON. *in hiſtor. Franc.* veluti *libr. IV. cap. XXXIV. cap. XXXVIII. &c.*

(zz) THOMASIUS *in hiſt. jur. feud.* § 39 & 40. B. G. STRUVIUS *in hiſt. jur. varii, Cap. VIII. §. 13.* Qui PIPINI capitulare, tanquam primam conſtitutionem feudalem, ibidem appoſuit.

T A N T U M.

A: 11470138